CEBETIS TABULA

QUANAM AETATE CONSCRIPTA ESSE VIDEATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA,

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

PROPOSUIT

CAROLUS PRAECHTER,

HEIDELBERGENSIS.

MARBURGI.

MDCCCLXXXV

CEBETIS TABULA

QUANAM AETATE CONSCRIPTA ESSE VIDEATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA,

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

PROPOSUIT

CAROLUS PRAECHTER.

HEIDELBERGENSIS.

MARBURGI.

MDCCCLXXXV.

Typis G. Braun, Carolsruhae.

AVO DILECTISSIMO

E. F. LIST

D. D.

AUCTOR.

Cum Cebetis quae fertur Tabula propter materiam ad mores pertinentem allegoriaque adhibita facetius quam fieri solet expositam ab hominibus Graecae linguae peritis summo studio lectitaretur typographorumque officinas identidem exerceret, haud ita multi fuerunt, qui artem criticam ei adhiberent eaque, quam ex hoc libello legendo capiebant voluptate non acquiescentes originem eius in quaestionem vocarent. Atque primus et intra complura saecula unus Hieronymus Wolfius[1]) se dubitare professus est, num recte Socratico Cebeti Tabula vulgo adscriberetur. Quam suspicionem duabus rebus docuit ortam esse, primum quod Tabulae loci nonnulli non convenire viderentur cum Cebetis Socratici aetate, deinde quod in Stoicorum sententias appareret auctorem inclinare. His diu nova argumenta non sunt adiecta, quaeque Feurlinus[2]), Bruckerus[3]), Meinersius[4]), Schweighaeuserus[5]) — ut omittam Berkelium, qui Wolfii verba transcripsit aliosque complures, quos Feurlinus enumeravit p. 16 — partim refutandae partim comprobandae illius sententiae causa disputaverunt, in iis ratio non habetur nisi chronologiae et eorum, quae hoc opere continentur, philosophiae prae-

[1]) in editione sua Bas. 1560.
[2]) Miscell. Lipsiens. tom. III p. 15—60.
[3]) Hist. philos. I p. 578 sq.
[4]) Commentat. societ. Gotting. 1782.
[5]) in edit. sua Epicteti et Cebetis Tab. Argentor. 1798.

ceptorum. Idem iudicium faciendum est de Klopferi dissertationibus[1]), qui ea tamen re ab illis recedit, quod diversas eorum sententias ita inter se studet conciliare, ut Tabulam a Socratis illo discipulo compositam, sed postea retractatam variisque interpolationibus vitiatam esse censeat. Qui deinde in hac disquisitione operam collocavit, Schaberus[2]), ne ipse quidem nova adhibuit subsidia uniceque in philosopho argumento versatus est. Maximi vero progressus auctor erat Drosihnus[3]), qui primus omnibus ex partibus hanc materiam explorare instituit. Atque primum Drosihnus veterum de Cebete eiusque opere testimonia, de quibus illi partim omnino non curaverunt, partim obiter neque satis accurate quaesiverant, congessit, iisque nixus temporum rationes, quoad eius fieri poterat, examinavit. Hae enim prius ad certum redigendae sunt, quam ex iis locis Tabulae, quibus Wolfio suspicio orta erat, quidquam liceat colligere. Deinde postquam de philosophiae sententiis, quae in Tabula produntur, exposuit, novum attulit criticae operae adiumentum. De allegoriae enim apud veteres usu disseruit exemplisque nonnullis ex aliis auctoribus prolatis, quando talia maxime in consuetudinem venissent scriptoribus, quaerendum esse monuit. Accedit tertium Drosihni meritum atque id minime contemnendum: id enim discrimen, quod in verborum supellectile est inter optimi sermonis Attici scriptores et Tabulae auctorem pervestigandum sibi proposuit — quam rem priores vel plane neglexerant vel obiter perstrinxerant — eaque vocabula collegit, quae aliena sunt ab illorum scriptis.

Post Drosihnum nemo huic disceptationi impertivit

[1]) De Cebetis Tab. dissertat. III, Zviccav. 1818—1822.

[2]) Das Gemälde des Kebes, Constanz 1862.

[3]) Die Zeit des *Πίναξ Κέβητος*, Neu-Stettin 1873.

operam, nisi quod Jerramius[1]) in prooemio editionis suae denuo recensuit philosophiam Tabulae et de allegoria pluribus disseruit, sed ita, ut ex eius disputatione ad iudicium de Tabulae origine faciendum fructum capere vix possis; idem errores nonnullos, quibus Drosihnus captus erat in componendo verborum indice, coarguit.

Nihil attinet pluribus exponere ea via, quam ingressus Drosihnus ne ad finem rem pertractaret morte impeditus est, pergendum esse. Quae enim paucis paginis ille ea, quam descripsi, inquirendi ratione usus disputavit, ex iis tam amplus fructus capitur, ut vix liceat dubitare, quin operae pretium futurum sit, altius hanc materiam omnibus ex partibus perscrutari, neque audiamus Eberhardium[2]) prorsus de hac disquisitione desperantem. Id enim certe speramus nos assecuturos esse, ut eos refellamus, qui etiam nuper[3]) paucis quibusdam locis deletis hoc opus cum Socratis philosophia Socraticique Cebetis aetate plane convenire existimarunt; quos Drosihnus haud mediocribus argumentis impugnavit neque tamen ita, ut totam rem absolutam illorumque sententiam prorsus refutatam esse censeas. Hac igitur opinione convulsa certae cuidam aetati auctorem Tabulae conabimur assignare. Qua in disquisitione propter auctoris philosophandi rationem ad communem intellegentiam accommodatam difficillima etiamsi nobis non continget ut omnem dubitationem tollamus, tamen aliquantum nos profecturos quaeque aliquos habeant probabilitatis numeros prolaturos esse confidimus.

Primum dicam de veterum quae sunt de Cebete et

1) *Κέβητος Πίναξ*, Oxford 1878.
2) Bursiani annal. 1873 II p. 1299.
3) cf. Baehrium in Paulyi encyclopaedia s. v. Cebes.

de Tabula testimoniis, deinde de philosophorum placitis, quae hoc libello continentur, tum de allegoria, postremo de dicendi genere.

I. De veterum testimoniis.

Duo nobis ex veterum scriptis noti sunt philosophi Cebetes, quorum unus Socratis erat discipulus, Thebanus, alter Cynicus Cyzicenus[1]). De illo quamquam minime tacitam se praebet veterum memoria neque caremus scriptorum locis, quibus eius fiat mentio, tamen mira quadam fortunae invidia accidit, ut nullum ad nos perveniret testimonium, ex quo dubitatione omni remota colligi posset, quo anno natus quove mortuus esset. Quae de vita eius comperimus, haec fere sunt.

Cebes cum Simmia Thebis audivit Philolaum[2]); post Athenis Socratis erat discipulus, cuius disciplina quot annos usus sit explorari nequit. Thebis, non Athenis videtur domicilium habuisse et illinc, quoties Socratis audiendi cupidus erat, Athenas migrasse. Xenophon quidem comm. III 11, 17 Socratem fingit haec dicentem: *διὰ τί δὲ (οἴει) καὶ Κέβητα καὶ Σιμίαν Θήβηθεν παραγίγνεσθαι.* Accedit quod Cebes apud Platonem[3]) in peregrinis numeratur. Hac domicili longinquitate fieri potuit, ut rarius ille Socratis disputationibus interesset ob eamque causam nusquam a Platone nisi in eo dialogo, qui Phaedo inscribitur, cum Socrate colloquens induceretur. Unum constat, Platoni si fidem habemus: Cebetem adfuisse, cum Socrates supremo vitae die de immortali-

---

[1]) De quo v. Athen. IV 45 p. 156 d. Videtur hoc nomen rarissimum fuisse; praeter illos unum indagavi Cebetem, Vergili servum, quem Donatus commemorat vit. Verg. 9 sq.

[2]) Plat. Phaed. 61 d.

[3]) Plat. Phaed. 59 c.

tate animi dissereret[1]). Idem Plato testis est illum paratum fuisse pecuniam ad Socratem ex vinculis liberandum conferre[2]). In Phaedone indolis et ingenii Cebetis imaginem expressam esse a veritate non longe recedentem summo iure suspicabimur[3]); quo vero ad eius aetatem cognoscendam uti liceat, nullum in eo inest argumentum.

Notitia perexigua illa quidem, sed in tanta inopia non contemnenda ex eo loco fluit, qui est apud Xenophontem comm. I, 2, 47 sq., ubi ille, postquam exposuit Alcibiadem et Critiam ideo Socratis audiendi studiosos fuisse, ut facultatem sibi pararent reipublicae gerendae, eam autem ubi se assecutos esse existimassent, ab illo discessisse, his verbis pergit: *ἀλλὰ Κρίτων τε Σωκράτους ἦν ὁμιλητὴς καὶ Χαιρεφῶν καὶ Χαιρεκράτης καὶ Ἑρμογένης καὶ Σιμίας καὶ Κέβης καὶ Φαιδώνδας . . . καὶ τούτων οὐδεὶς οὔτε νεώτερος οὔτε πρεσβύτερος ὢν οὔτ' ἐποίησε κακὸν οὐδὲν οὔτ' αἰτίαν ἔσχεν.* Quo loco haec disquisitio magnopere iuvaretur, si ex nominum ordine quidquam de singulorum virorum aetatibus efficeretur; id quod fieri eo facilius existimaveris, quod qui primo loco nominantur, Crito et Chaerephon Socratis fuerunt aequales[4]) itaque eos ceteris maiores natu fuisse verisimile est. Quodsi statuimus Xenophontem in illis viris enumerandis aetatis rationem habuisse, sequitur Cebetem in Socratis discipulis natu minimis fuisse. Sed ne hac ratiocinatione confidamus, ea re deterremur, quod Plat.

---

[1]) Plat. Phaed. 59 b. sq.

[2]) Crito 45 b.

[3]) Plat. Phaed. 63 a, 77 a. Cf. Groen van Prinsterer prosopogr. Platon. p. 64. Ex sententiis Cebeti a Platone tributis nulla ad nostram disquisitionem lux redundat.

[4]) Plat. apol. Socr. 33 d, 21 a. Chaerecratis et Hermogenis aetas ex iis, quae Plato et Xenophon memoriae prodiderunt, explorari nequit.

Phaed. 59 bc Simmias, Cebes, Phaedonides non quo ceteris minores natu fuerint, sed quia peregrini erant, post ceteros commemorantur. Eandem rationem nemo negabit apud Xenophontem quoque valere potuisse. Attamen de hoc loco Xenophontio non est desperandum. Quem huic disceptationi usui esse iam Drosihnus[1]) animadvertit, qui tamen nimia ex eo mihi videtur collegisse. Primum enim id premit, quod Xenophon anno 394[2]) quinquagenarius Cebetem dicat *πρεσβύτερον*. At Xenophontis aetas in hac re nullius est momenti, cum non secum Cebetem ille comparet, neque quidquam obstat, quin Xenophon, etiamsi ipse maior natu erat, Cebetem adultum Cebeti adolescenti (*νεωτέρῳ*) opponens dicat *πρεσβύτερον*. Deinde Drosihnus vult Xenophontem, cum ita de Cebete iudicaret, vitam illius quasi absolutam maximamque eius partem peractam putasse. Id quod non concedo. Neque enim ipsum vocabulum, quod est *πρεσβύτερος*, senem significat (immo vel is qui trigesimum annum agit, si cum minoribus natu comparatur, *πρεσβύτερος* est) neque tibi persuaseris tale iudicium nisi de eo, qui ad vitae finem pervenit, fieri non posse. Equidem de hoc loco sic statuendum esse arbitror. Manifestum est Xenophontem Cebetis assiduum Socratis audiendi studium morumque integritatem, qua per totam vitam eum dicit fuisse non potuisse opponere Alcibiadis et Critiae levitati moribusque post Socratem relictum depravatis, nisi usque ad

---

[1]) Die Zeit des *Πίναξ Κέβητος* p. 4.

[2]) Hoc enim anno sumit commentarios conscriptos esse; de qua re adhuc nondum consenserunt viri docti, quamquam plerique non differunt inter se nisi paucorum annorum spatio (399—394). Dindorfius contra edit. Oxon. p. XXVI usque ad olymp. 99 progreditur; item Cobetus Mnem. VII magnum temporis spatium inter Socratis mortem et commentariorum Xenophonteorum compositionem vult intercessisse.

aliquanto maiorem aetatem eum noverat in eiusque vivendi rationem animum intenderat, quam qua Critias et Alcibiades fuerunt quo tempore Socrati animos suos excolendos dare desierunt. Quis enim cum eo, qui v. g. tricesimum annum agens vitiosus esse incipit, alium quemquam, qui eiusdem aetatis sit, ita comparet, ut hunc dicat et *νεώτερον* et *πρεσβύτερον* in virtute perstitisse? Atqui Alcibiadem scimus non ante pacem illam, quae a Nicia nomen duxit, a Socrate descivisse et in republica gerenda operam consumpsisse. Thucydides quidem 5, 43 ita eum commemorat, ut non antea ad rempublicam eum accessisse intellegas, quaeque Xenophon ei crimini dat[1]), ea ipsa quoque post pacem illam inter Athenienses et Lacedaemonios confectam evenerunt[2]). Tum enim constat Alcibiadem, cum antea ab optimatibus stetisset, ad populi partes transisse, aegre ferentem, quod Lacedaemonii, quibus ad id temporis studuerat, non se, sed Nicia et Lachete usi essent ad illam pacem componendam[3]). Ponamus igitur Alcibiadem circiter a. 420, i. e. cum trigesimum fere annum ageret[4]), Socratis a se reiecisse disciplinam: iam statuendum erit Cebetem, quo tempore Xenophon illum in modum de eo iudicavit, aliquanto maiorem fuisse

---

[1]) comm. I 2, 24: *διὰ δὲ δύναμιν τὴν ἐν τῇ πόλει καὶ τοῖς συμμάχοις ὑπὸ πολλῶν καὶ δυνατῶν ἀνθρώπων διαθρυπτόμενος, ὑπὸ δὲ τοῦ δήμου τιμώμενος καὶ ῥᾳδίως πρωτεύων, ἠμέλησεν αὑτοῦ.*

[2]) Tempore proelii Deliaci Alcibiadem familiarem fuisse Socratis Plato testatur sympos. 221 a. Ad eandem pugnam ab Antisthene (apud Athen. V 216 b.) ea referuntur, quae apud Platonem (conviv. 220 d sq.) de pugna apud Potidaeam facta narrantur.

[3]) Thucyd. 5, 43.

[4]) cf. Hertzberg Alcib. p. 61 sq.; qui ipse quoque Alcibiadem ad rempublicam accessisse vult a. 421. De eius transitu ad populares cf. Hertzb. p. 78.

triginta annis natum. Amplius ex hoc loco, si modo sobrie eo utimur testimonio, dubito num quidquam possit colligi. Itaque non post annum 440 Cebetem natum esse licet contendere; Drosihni autem ad annum 450 regredientis ratiocinationem nimis audacem et quasi infirmo fundamento nixam non probabimus.

Haec sunt quae de ratione inter Socratem et Cebetem intercedente idonei testes prodiderunt. Quibus adicimus, quod ex recentioribus Gellius II 18, Macrobius Sat. I 11, 41, Lactantius de falsa sap. III 25, 15[1]) narrant nulla antiquiorum scriptorum auctoritate comprobatum, Phaedonem, cum servus esset, hortante Socrate a Cebete redemptum philosophiaeque disciplinis imbutum esse. Quod vel si fide dignum esse concederemus, tamen, in Cebetis aetate indaganda nihil iuvaremur, cum, quando Phaedo captus sit, conicere liceat[2]), neque tamen, qua aetate fuerit cum in servitutem incidit, aut quanto Cebes aetate eum antecesserit, ullo pacto possit explorari[3]).

Quid Cebes fecerit Socrate mortuo, ubi fuerit, quamdiu vixerit, frustra ex antiquis scriptoribus quaesiveris. Etiamsi Socratis et Socraticorum epistulis, quarum ad historicam disquisitionem usus nullus est, fidem adiungeremus, tamen in hac re ab iis quoque desereremur[4]);

---

[1]) A quibus ita dissentit Diog. Laert. II 105, ut ambigat, utrum ab Alcibiade an a Critone Phaedo in libertatem sit vindicatus. Hesych. de vir. ill. s. v. *Φαίδων* commemorat Alcibiadem.

[2]) Preller Mus. Rhenan. IV p. 393 sq.

[3]) Prellerus l. l. p. 396 statuit nondum 18 annorum fuisse Phaedonem, quo tempore Socrates mortuus est. At, ut non dicam non satis certam Prelleri rationem esse (cf. Zeller die Philosophie d. Gr. II 1 p. 236), nostra interest scire non eum annum, quem nondum ille attigerat, sed eum quem peregerat.

[4]) cf. Socrat. et Socraticorum ep. 14 et 22 et, si modo Cebeti hanc attribui voluit auctor, 20.

nisi quod auctor Platonis quae fertur epistulae 13 p. 363a ponere videtur Cebetem eo tempore, quo hanc epistulam scriptam putari volebat, vivum fuisse. Vix enim de homine mortuo scripseris *ἀνὴρ πᾶσιν ἡμῖν οἰκεῖός τε καὶ εὔνους* nullo vocabulo docens eum in vivis iam non esse. Sed in his propter illarum epistularum incertam originem non magis niti licet, quam in Dionis Chrysostomi eo loco, qui est or. 8 init., ubi in Socraticis philosophis eius aetatis, qua Diogenes patria expulsus Athenas permigravit, Cebes non commemoratur. Primum enim minime constat, num ipse Dio historiae Socraticorum adeo fuerit peritus, ut quinam illis temporibus vixissent, compertum haberet. Deinde valde dubium est, num omnes Socraticos, non eos solum, qui summa laude florebant, enumerare in animo habuerit. Quod si quis dicat Cebetem propter illam, quae eius ferebatur, Tabulam celeberrimum fuisse neque fieri potuisse, ut Dio eum quasi mediocrem et commemoratione indignum silentio praeteriret, id ipsum non liquet, num Dioni Tabula Cebeti adscripta innotuerit[1]).

Praeter eos, quos commemoravi, auctores Cebetis mentionem facit Plutarchus de genio Socr. 10, 20, sed neque in his quidquam inest, quo chronologiae investigatio iuvetur, neque illius auctoritas, cum in hoc opere poëtam potius libero fingendi arbitrio usum, quam historicum vera explorantem se praebeat, ullo in numero habenda est.

Ex iis, quae Plutarchus de lib. educ. 15, de anima 23,

---

[1]) Vid. infra part. III. Ne illud quidem neglegendum est, Cebetem, ut supra exposuimus, Thebis habitasse, Dionem de iis dicere, quos Athenis invenit Diogenes. Quamquam Euclidem quoque Megarensem commemorat, qui tamen magis quam Cebes Athenas videtur frequentasse.

Themistius or. 34, 5, de moribus et sententiis Cebetis Socratici exponunt, nulla lux ad eam, quam hic tractamus, quaestionem redundat.

Sed hactenus de Cebete; iam de Tabula videamus. Cuius his veterum locis fit mentio:

1. *Cebetis Pinax* ita commemoratur, ut neque illud „Socratici“ addatur, neque certo cognoscere liceat eam Tabulam intellegi, quae ad nos pervenit:

Tertull. adv. haeret. 39: Meus quidam propinquus ex eodem poëta (Vergilio) inter cetera stili otia pinacem Cebetis explicuit.

2. *Cebetis Socratici Pinax* nominatur nullo indicio adiecto, quo efficiatur, eam, de qua nos agimus, Tabulam significari:

Diog. Laërt. II 125: *Κέβης ὁ Θηβαῖος. Καὶ τούτου φέρονται διάλογοι τρεῖς. Πίναξ, Ἑβδόμη, Φρύνιχος.*

Suidas s. v. (quocum convenit Eudocia c. 584): *Κέβης Θηβαῖος φιλόσοφος, Σωκράτους μαθητής. Διάλογοι δὲ αὐτοῦ φέρονται τρεῖς, Ἑβδόμη, Φρύνιχος, Πίναξ. ἔστι δὲ τῶν ἐν ᾅδου διήγησις· καὶ ἄλλα τινά.*

His adicio eum locum, qui est Diog. Laërt. II 64: *Πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνου· διστάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου. Τοὺς δ' ἄλλους ἀναιρεῖ πάντας.*

3. *Cebetis Tabula ea, quae nobis in manibus est*, commemoratur non addito illo „Socratici“:

Lucianus de merc. cond. 42: *Βούλομαι . . . ὥσπερ ὁ Κέβης ἐκεῖνος εἰκόνα τινὰ τοῦ τοιούτου βίου σοι γράψαι, id. rhet. praec. 6 sq.: ἐθέλω . . ὥσπερ ὁ Κέβης ἐκεῖνος εἰκόνα γραψάμενος* . . . . Utroque loco ex picturae descriptione apparet, nostram Tabulam ei obversatam esse.

Chalcid. in fin. comm. in Plat. Tim. (c. 355):

Qui aderant omnes erant instructi praecipuis doctrinis, quas ingenuas disciplinas appellavit propterea, quod a pueris aetas illa iis veluti principiis altioris doctrinae et tanquam gradibus imbuebatur, geometrica, musica, arithmetica, astronomia. De quibus Cebes pronuntiavit: si quidem philosophiae causa discantur, ut per eas tanquam gradibus ad summum culmen philosophiae perveniatur, operae pretium fore, si sine philosophia, plenae tamen dignitatis esse fundamentum, imperfectae licet eruditionis.

Praeterea Cebes allegatur apud Polluc. onom. III 95: *ὑφηγητὴς . . . παρὰ δὲ Κέβητι καὶ καθηγητής.* In Tabula hoc vocabulum non occurrit[1]).

Nullum igitur exstat antiquorum testimonium, quo ea Tabula, quae ad nostram aetatem permansit, ipsis verbis Socratico Cebeti tribuatur. Pinacis illud argumentum, quod invenimus apud Suidam, adeo non convenit cum eo, de quo agimus, libro, ut nisi de ceteris eiusdem auctoris erroribus cogitaveris, vix tibi persuadeas ad hoc opus id pertinere. Vult enim Suidas toto libello contineri descriptionem eorum, quae apud inferos fiant; quasi vero non in ipsa hac vita eveniant ea, de quibus agitur. Quod vero ad introitum vitae — de Orco nusquam dicitur — stans numen divinum de recta vivendi ratione iis praecipit, qui introituri sunt in vitam necdum in ea versantur (Tab. 4, 3), quis hoc premat, si modo totius libri vult comprehendere argumentum? Atque fuerunt, qui tantas illi imputare ineptias veriti pro *ἔστι δὲ* — *ἔτι δὲ* scribendum conicerent, novum quoddam opus significari arbitrati. Eam in sententiam disputaverunt Velsius, Stanleius, Menagius. Equidem malim assen-

[1]) Quae Stobaeus ex Cebetis opere transcripsit (cf. Phot. bibl. cod. CLXVII in indice auctorum, quibus Stobaeus usus est), perierunt.

tiri Wolfio, Fabricio, Casaubono, qui Suidae auctorem Platonis loco de rep. X p. 614 sq., adductum esse existimant, ut talia etiam Cebeti supponeret, scilicet cum obiter et incuriose Tabulam legisset. Facilius enim commoveor, ut eum, quo Suidas auctore usus est, errore captum esse credam, quam ut aliud ei in manibus fuisse putem Cebetis opus praeter ea, quae Diogenes Laërtius enumerat. Id certe ex illo Suidae loco non ausus sim colligere, de alia atque nos hodie legimus illium Cebetis Tabula cogitasse.

De codicibus si quaerimus, optimus codex Parisinus A inscriptione caret. De ceteris unus C, qui deterioris generis est, praebet *Κέβητος πίναξ Θηβαίου*[1]). Editiones princeps et Aldina illud *Θηβαίου* non exhibent[2]). Recte igitur Drosihnus hoc additamentum nullius momenti esse contendit. Non plus hac in re tribuo versioni Arabicae quamvis ex integerrimo exemplari[3]) factae: cuius inscriptio haec est[4]): „Aenigma Cebetis, amici Platonis". Hoc enim de suo interpres Arabicus videtur addidisse; qui idem in fine apposuit: „Explicit expositio Herculis ad Cebetem Platonicum."

Jam videamus quid ex antiquorum testimoniis efficiatur. Atque Drosihnus (die Zeit des Pinax p. 5) vult inde a medio secundo p. Chr. n. saeculo Tabulam vulgo Socratico Cebeti adscriptam esse. Id quod neque iis, quae supra congessi, testimoniis, neque novo illo, quod

---

[1]) cf. C. C. Mueller de arte critica Cebetis Tab. adhibenda p. 28.

[2]) Mueller p. 69. Neque ea, quam vulgo existimant editionem principem, neque quam Brunetus vult principem fuisse, addunt illud *Θηβαίου*.

[3]) Mueller p. 79.

[4]) secundum interpretationem Elichmannianam.

Drosihnus attulit, argumento probatur. Suspicatur enim auctorem epistulae inter epistulas Socratis et Socraticorum 20, quam Orellius coniecit (Pseudo-) Cebeti et (Pseudo-) Simmiae tribuendam esse, cum scriberet illud *παντὸς ὢν ἐπάνω πλούτου καὶ δόξης*, de Cebetis Tab. cap. 26, 3 cogitasse. Atqui verisimile esse illas epistulas non post med. II p. Chr. n. saeculum compositas esse; ergo eo iam tempore Tabulam et exstitisse et Socratico Cebeti adscriptam esse. Qua argumentatione nihil potest esse infirmius. Primum enim illam epistulam ex auctoris sententia Cebeti tribuendam esse minime constat sed coniectura colligitur; deinde num Socratis et Socraticorum quae feruntur epistulae ante med. II post Chr. n. saeculum confectae sint, ambigitur. Tum quod attinet ad illa vocabula *παντὸς ὢν ἐπάνω πλούτου καὶ δόξης*, hic consensus non satis valet ad probandum Tabulae illum locum auctori obversatum esse, cum sescenties eadem res iisdem fere his vocabulis apud posteriores exprimatur [1]). Postremo etiamsi concederemus Pseudo-Cebetem qui epistulam illam composuit Tabulam Socratici illius philosophi existimasse, tamen propterea non sequeretur vulgo inde ab illo tempore sic creditum esse [2]). Sed ut ponamus apud recentiores hanc opinionem fuisse divulgatam Lucianumque [3]) et Chalcidium intellexisse Socraticum Cebetem: quam parva his in rebus veterum scriptorum, nisi qui de industria in arte critica exercenda operam collocavit, sit auctoritas, quis est qui

---

1) cf. infra p. 50.

2) Drosihnus p. 5: „hat sich die Tradition festgesetzt"; idem p. 15: „nach allgemeiner Tradition".

3) Ex illo *ἐκεῖνος*, quod nomini adiungit Lucianus, nihil de tempore colligendum esse, iure contendit Drosihnus p. 5; quem iniuria eam ob causam reprehendit Jerramius p. XXXIX.

nesciat? Rectissime Wolfius[1]) monet ne recentiores quidem iis, quae Alexandrini de libris genuinis et suppositiciis exploraverant, ea, qua nos opus esse censemus, cura usos esse. Itaque multo magis quam Lucianus audiendus est Panaetius, qui philosophae historiae cognoscendae studuerit—liber eius ferebatur de philosophorum familiis scriptus—cuiusque plus quam Luciani interfuerit, quae cuique deberentur scripta internoscere. Hunc autem Diogenes eo loco, quem supra (p. 10) exscripsi, dicit Cebetis Socratici Tabulam non agnovisse[2]).

Ex his intellegitur Tabulae, quae exstant apud veteres scriptores, vestigia eiusmodi esse, ut, si rationes ex ipsius libri condicione petitae nos impellant ad posteriori aetati Pinacem assignandum, vix ullà auctoritate impe-

[1]) Proleg. ad Hom. XIII not. 12.

[2]) Drosihnus Pseudo-Platonis ep. XIII p. 363a nisus se dubitare profitetur, num Cebetis Socratici hoc opus sit iudicandum. Omitto hoc loco quaerere de illius epistulae auctoritate illud dicam, si modo Pseudo-Platoni illi fides sit adiungenda, longe aliud atque Drosihnus vult, hac epistula mihi videri evinci. Ea enim ex re, quod auctor ne verbo quidem attingit librum illius de philosophia scriptum, Drosihnus colligit nullum eiusmodi Socratici Cebetis opus exstitisse. At hoc non potest concedi, nisi ponis auctorem velle tempore illius epistulae Cebetem mortuum fuisse. Unde enim scimus, Tabulam postea conscribi non potuisse? Cuius rei auctor illius epistulae perfacile potuit notitiam habere, si cum Drosihno eum Platonis discipulum fuisse statuis. De mortuo autem Cebete illo loco dici adeo non est cur statuamus, ut contra illa vocabula in viventem Cebetem multo melius convenire supra (p. 9) viderimus. Drosihnus ille quidem eo tempore, quo auctor hanc epistulam voluit conscriptam putari, Cebetem vivum fuisse negat. Sic enim argumentatur: Cebetem Socrate interempto et Thebis liberatis non potuisse Athenis remanere. Atqui Pseudo-Plato eius familiam annis 367—361 dicit Athenis fuisse. Ergo ipse Cebes mortuus erat ante Thebas liberatas (idem asseritur p. 5). At ubi auctor commemorat Athenis vixisse Cebetis filias? Deinde quo iure licet contendere Cebetem nullo modo post Socratem interemptum et post Thebas liberatas potuisse Athenis habitare?

diamur, ne Socratis illi discipulo eum abrogemus. Jam igitur iis, quae supra congessimus, antiquorum de Cebetis vita testimoniis adhibitis quaeramus, num Tabulae loci nonnulli repugnent, ne a Socratico Cebete eam confectam esse arbitremur. Atque primum Hieronymo Wolfio suspicionem movit, quod 13,2 Peripatetici commemorantur et 33,3 Platonis sententia quaedam laudatur, quam hic exposuit de leg. VII p. 808. Jure enim dubitare sibi visus est, num Cebes Socraticus Peripateticorum familiae aut eorum Platonis librorum, qui de legibus inscribuntur, notitiam accipere potuerit. Quam difficultatem, quod ad Platonis illum locum attinet, per vim sustulerunt et quasi gladio nodum disciderunt Casaubonus (in edit. Berkelii) et Klopferus[1]), qui vocabula Platonem allegantia interpolatori tribuerunt. At nihil in iis inest offensionis, quo talis coniectura defendatur, summoque iure a violenta hac ratione abhorruit Feurlinus. Quaeramus igitur, num Cebes Socraticus vixerit, quo tempore Platonis illi libri editi sunt. Atque si fidem habebimus Dionysio Halicarnassensi (de comp. verb. p. 208), Senecae (ep. 58,31), Ciceroni (de senect. 5,13), qui testes sunt Platonem 80 vel 81 annos natum, i. e. a. 348 vel 347[2]) vita decessisse ac si Diogenem Laertium (III 37), Suidam (v. φιλόσοφος), auctorem prolegom. philosophiae Platonicae (c. 24) sequemur, qui produnt Platone mortuo Philippum Opuntium libros de legibus scriptos edidisse, fieri non poterit quin dubitemus, num ei, qui paucis annis post Socratis mortem — si recte supra p. 8 exposuimus — non minor quadra-

---

[1]) Dissert. de Ceb. Tab. Zviccav. 1818—1822.

[2]) Non plane inter se consentiunt veteres de primo et supremo Platonis anno; sed nostra disceptatio illa dissensione non tangitur. De variis veterum sententiis cf. Zeller, die Phil. d. Griechen II 1, 338 sq. edit. 3.

ginta annis natus erat, illud opus notum esse potuerit.[1]) Sed ut testibus illis fidem derogemus fabulisque eos sumamus hac in re delectari, id tamen certum est Leges esse postremum Platonis opus et post libros, qui de republica inscribuntur, extrema auctoris aetate in lucem prodiisse.[2]) Zellerus eam temporum rationem sibi probari dicit, ut statuamus libros de republica perfectos esse circiter a. 370—368; tertio deinde itinere Siciliensi 362/361 suscepto Platonem commotum esse, ut de republica aliter atque instituerat, exponere animum induceret. Cuius commutationis fructum esse libros qui sunt de legibus.[3]) Quam temporum rationem si sequemur, non ante annum a. Chr. n. 355 eos editos esse pro certo habebimus. Unde efficitur Cebetem, si huius operis fuit auctor, maiorem natu octoginta annis id composuisse; quod quamquam concedendum est fieri potuisse, tamen nulla verisimilitudinis specie defenditur.

Hanc difficultatem ex Tab. c. 33,3 exortam facile tolli putabat Feurlinus[4]), si statueremus, non ad sententiam Platonis litteris mandatam, sed ad dictum viva voce traditum auctorem provocasse. At quis hoc sibi persuadeat, a Cebete ea, quae privatim in schola Platonis audisset quaeque nota non essent nisi paucis illius discipulis, allegata esse in libro ad commune iudicium popularemque intellegentiam accommodato? Mihi quidem etiam tum hac interpretatione vix videretur utendum esse, si graviores testes vetarent Tabulam Cebeti Socratico abro-

[1]) Certior res esset, si Drosihno liceret assentiri, qui, cum Plato mortuus est, centum annos vult Ceb. natum fuisse. Sed eius argumentationem infirmam esse supra vidimus.

[2]) cf. Zeller, die Phil. der Griechen II 1, p. 423, 468, 831 edit. III.

[3]) Zeller II 1, p. 468 edit. III.

[4]) In dissertatione p. 1 commemorata.

gari; nunc vero, cum veterum auctoritas in hac re paene nulla sit, multo minus ad tam improbabilem rationem est decurrendum. Alter locus est 13,2, ubi in iis, qui falsae eruditioni student, numerantur Ἡδονικοί, Περιπατητικοί. Haec vocabula recentiore demum aetate in usu fuisse, infra erit exponendum cum de verborum supellectile agemus. Hoc loco de ipsis illis, quae his nominibus significantur, philosophorum sectis quaeremus et explorabimus, num Cebete vivo conditae fuerint. Atque in Hedonicorum commemoratione viri docti plerique non offenderunt, scilicet cum tacite idem sumerent, quod ipsis verbis dixit Bruckerus[1]), hoc loco Hedonicos non Epicuri, sed Aristippi sectatores intellegendos esse. Sed probari debebat hoc nomen ab aequalibus Aristippeis inditum esse. Quod enim Galenus hist. phil. XIX p. 230; (IV 425 edit. Basil.) dicit Aristippi sectam appellatam esse Κυρηναϊκὴν ἀπὸ τῆς πόλεως ἧς ἐκεῖνος μετεῖχεν, ἡδονικὴν δὲ ἀπὸ τοῦ τέλους τῆς κατ' αὐτὸν φιλοσοφίας, patet quam facile posteriores tot saeculis peractis Epicureorum nomen quod est Ἡδονικοί ad eos, qui priore tempore similia docuerant, transferre potuerint. Ab iis autem, qui non confunderent Aristippeos Epicureis, illos Hedonicos vocatos esse evinci nequit. Itaque non licet illo Tabulae loco cogitare nisi de Epicureis. Quos Socratico Cebeti non innotuisse nihil attinet demonstrare.

De illo Περιπατητικοί saepissime variumque in modum viri docti disputaverunt neque ullus Tabulae locus aeque est agitatus. Cum enim Aristotelis discipulis in Cebetis Socratici libro propter temporum rationem locum non esse luce esset clarius, aut delendo hoc vocabulo, aut nova quadam interpretatione adhibenda difficultatem

---

1) hist. philos. I p. 578 sq.

tollere conati sunt. Unus Feurlinus neutris se adiungit atque contendit Cebeti Socratico Aristotelis familiam potuisse innotescere. Neque enim constare, quibus temporibus Peripateticorum secta sit condita, cum chronologia, quae in philosophorum temporibus examinandis versatur, minime sit certa. At de hac quidem re ambigere non possumus. Ipsum Aristotelem nihil impedit quin Cebeti notum fuisse statuamus. Viginti enim annos ille Platonem audiens Athenis commoratus est (teste Apollodoro apud Diog. Laert. 5,9 annos 367—347). A vivo etiamtum Platone eum defecisse prodit Hermippus apud Diog. Laert. 5,2. Sed idem testis est in Lyceo scholas habuisse Aristotelem mortuo demum Platone, cum Xenocrates illius familiae praeesset (Diog. Laert. 5,2). Xenocrates autem Speusippum secutus academiae caput factus est ol. 110,2 teste Diogene Laertio 4,1; 14; ol. 110,3 teste Eusebio. Itaque ante annum 339 a. Chr. n. Peripateticorum secta non est condita. Certum annum prodit Apollodorus, qui dicit Aristotelem, postquam Athenas venisset a a. Chr. n. 335, tredecim annos in Lyceo philosophatum esse (Diog. 5,10). His testimoniis non est cur fidem derogemus. Quod vero Feurlinus p. 33 sic argumentatur: „Ponamus Platonem mox post obitum Socratis absolutis itineribus, quibus sex assignabimus annos, condidisse sectam suam, Aristotelem vero in doctrina Platonis et penes Alexandrum M. viginti perseverasse annos, donec ipse sectae Peripateticorum originem dederit, ponamus Cebetem 40 annos natum, cum Socrates moreretur, ad octogesimum usque annum superfuisse, tunc nihil absurdi statuemus asserturi Cebeti, cum septuagenarius iam esset, Peripateticos primum innotuisse, atque cum mox ante obitum Pinacem conscripsisset, eosdem in eodem commemorasse“, videtur ille non modo de

philosophorum, verum etiam de regum temporibus vix quidquam pro explorato habere. Quis enim ausus sit ponere Aristotelem intra annos 393 et 373 Alexandri M. fuisse praeceptorem, nisi qui omnem chronologiam in quamvis firmis veterum testimoniis nixam nihili aestimare animum induxerit?

Jam de iis videamus, qui novam vocabulo *Περιπατητικοί* adhibuerunt interpretationem. Atque idem, de quo modo diximus, Feurlinus, mavult putare non de Aristotelis sectatoribus hoc loco agi, sed ante Aristotelis aetatem fuisse, qui cum *ἐν περιπάτῳ*, h. e. spatiantes, docerent, Peripatetici vel potius Peripatici vocarentur; quam interpretationem vel maxime commendari scriptura cod. M., qui exhibet *Περιπατικοί*; unde apparere hic non Aristotelicos, qui ubique *Περιπατητικοί* nominarentur, sed priores illos philosophos significari. Schweighaeuserus[1]), qui item scribit *Περιπατικοί*, duos Aristophanis locos, qui sunt ran. 973 (942) et 984 (953), vult testimonio esse, vocabulum *περίπατος* iam Socratis aetate non modo xystum et locum ambulationi destinatum, verum etiam scholasticam philosophorum disputationem designasse. Quo ex usu facile explicari illud *περιπατικοί*. Atque quae ille de vocabulo *περίπατος* disputat, ea recte se habent; neque tamen in iis, quae ex his locis de nomine *περιπατικοί* effici existimat, Schweighaeusero assentior. Ex antiquis enim scriptoribus iis, quorum opera ad nostram usque memoriam manserunt, nullus illud *περιπατικοί* adhibuit; nedum significationis illa differentia, quam inter *περιπατικούς* et *περιπατητικούς* statuit Schweighaeuserus, usquam commemoretur. Itaque quamquam

[1]) edit. maior 1798 p. 306 et 366.

praeter M.[1]) etiam optimus codex A. et ex numero deteriorum D. praebent *περιπατικοί*[2]), tamen hoc librarii errori tribuendum esse arbitror. Quod vero illi *Περιπατητικοί*, quod exstat in ceteris libris, eandem illam notionem subesse vult Schweighaeuserus, recte iam Feurlinus exposuerat, iis locis, quibus talis suspicio primo obtutu nasci potest, nihil probari. Neque enim usquam ipsis verbis alius familiae sectatoribus illud nomen inditur, sed philosophi quidam, quos aliis scholis adscriptos fuisse scimus, falso in Aristotelicis numerantur. Quod vero Menedemus eiusque discipuli apud Diogenem Laertium II, 130 modo sedentes, modo ambulantes dicuntur philosophiae vacasse, inde nemo sanus colliget, *Περιπατητικούς* eos vocatos esse. Adde, quod hoc loco propter illud quod praecedit *Ἡδονικοί* requirimus nomen certae cuiusdam sectae, non „cuiusvis scholasticorum generis".

Ex his intellegitur novam hanc interpretationem reiciendam esse. Alteram viam ingressi sunt Fabricius, Bruckerus, Klopferus, qui delendis compluribus vocabulis hunc locum sanare offensionemque tollere studuerunt. Ne Feurlinus quidem resistit, ne ea, quibus difficultas nascitur, eiciantur, quamquam interpretando quam delendo mavult huic loco succurrere. Atque Fabricius quidem duo illa vocabula, in quibus maxime offendas, *Ἡδονικοί*, *Περιπατητικοί*, interpolatori tribuit, Feurlinus et Bruckerus tria haec *Ἡδονικοί*, *Περιπατητικοί*, *Κριτικοί*; Klopferus contra, quem supra in delendo audaciorem se praebere cognovimus, omnia haec vocabula, *Ποιηταί*, *Ῥήτορες*...

[1]) Codicis qui ferebatur M. auctoritatem firmis argumentis convellit Muellerus d. a. cr. p. 19 sq., qui cum neque, ubi sit, neque num omnino usquam fuerit ille codex explorari possit, iure negat aliter atque coniecturis eis lectionibus, quae ex illo afferuntur, utendum esse.

[2]) Mueller, p. 22.

Κριτικοί non genuina esse censet exceptis his: *Ἀριθμητικοί*, *Γεωμέτραι*, *Ἀστρολόγοι*. Atque Feurlino et Bruckero documento est Chalcidii silentium, qui eo loco, quem supra[1]) exscripsimus, commemorat geometriam, musicam, arithmeticam, astronomiam neque mentionem facit Peripateticorum, Hedonicorum, Criticorum. At agitur apud Chalcidium de „praecipuis doctrinis, quas ingenuas disciplinas" appellaverunt veteres. Itaque ille non enumerat nisi eas artes, quae ad certum illum disciplinarum orbem pertinebant; quibus philosophorum scholas quasdam addere cum absurdum fuerit, non recte colligeremus, Chalcidium Peripateticorum et Hedonicorum nomina in suo Tabulae exemplari non invenisse. Accedit aliud. Nam si omnia, quae apud Cebetem exstabant, nomina a Chalcidio transcripta esse existimas, etiam illud *Ῥητορικοί* eiciendum est, quod neque illi delendum esse rati sunt, neque alius quisquam in suspicionem vocare audeat. Hoc enim vocabulum infra videbimus adeo hic desiderari, ut si a codicibus alienum esset, inseri deberet.

Hactenus de Feurlino et Bruckero. Klopferus aliam rationem non affert nisi quod a Socrate arithmeticos, geometras, astrologos reprehendi solitos esse Xenophon tradiderit[2]). Qua re non effici, ut ne Cebes quidem aliarum artium studiosos commemoraverit, non est cur pluribus demonstrem.

Haec igitur argumenta a Bruckero, Feurlino, Klopfero allata non sufficiunt ad suspicionem his de vocabulis movendam. At contra ea gravissima sunt, quae solus ex eis, qui Tabulam Socratico Cebeti abrogarunt, de hoc

---

[1]) p. 11.

[2]) Quod Klopferus dicit *Ἡδονικοί*, *Περιπατητικοί*, *Κριτικοί* in versione Arabica deesse, errore vir doctus captus est. In Elichmanniana enim versione haec exstant: „Istorum aliqui, inquit, appel-

loco monuit Sauppeius[1]). Jure enim mireris liberalibus illis vel ingenuis quae vocantur artibus certum in ordinem a veteribus redactis duo familiarum nomina interseri. Accedit, quod quo iure in falsae eruditionis sectatoribus Epicurei nominentur, intellegi non potest. Ut enim concedamus Peripateticorum commemorationem, cum magis fere illi operam dederint quaestionibus ad litteras et historiam pertinentibus quam philosophiae, cum huius loci sententia convenire, quid de talibus Hedonicorum studiis innotuit? Quos ne existimes propter falsas de philosophia sententias vanae eruditionis cupidos dici, nusquam ob dogmata a vera philosophia aliena illi falsae eruditionis asseclae vituperantur, sed omnibus locis notantur ob studium earum rerum, quarum usus non est ad vitam recte instituendam. Itaque quod supra Chalcidii silentio probari negavimus, cum ille non habuisset cur has philosophorum sectas, etiamsi apud Cebetem appellatae erant, commemoraret, id nunc ipsa re et ratione probari videmus. Haec igitur verba: *οἱ δὲ Ἡδονικοί, οἱ δὲ Περιπατητικοί*, delenda esse puto[2]).

---

lantur Poëtae, aliqui Disceptatores. Quidam nominantur Oratores, et quidam *Κυριολόγοι* sive Critici. Alii etiam vocantur magistri concentus musici, alii Peripatetici, alii Joculatores sive Mimi et sic reliqui . . ." Itaque tantum abest, ut ea quae Klopferus omissa esse dicit, in versione Arabica desint, ut contra ea, quae sola ille tenet, *Ἀριθμητικοί, Γεωμέτραι, Ἀστρολόγοι*, apud interpretem non inveniantur.

1) Sauppeius, Goett. gel. Anz. p. 776; hunc secutus est Kraussius (das Gemälde von Kebes, Wien 1882, p. 32), qui falso contendit, iam a Schweigh. *Ἡδονικοί, οἱ δὲ Περιπατ.*, deleta esse.

2) In fine enumerationis duo haec nomina addita esse apparet ex versione Arabica, in qua nominum ordo hic est: Poëtae, Disceptatores, Oratores, Critici, Musici, Peripatetici, Joculatores. Ubi Criticos magis suo loco positos esse nemo non videt. Additis deinde illis philosophorum nominibus illud *Κριτικοί* omissum in eo exemplari, unde nostri codices fluxerunt, ultimo loco adiectum est.

Ut omnia iam quae adhuc exposuimus comprehendam, ex iis, quae in hac dissertationis parte pertractanda nobis proposuimus, ad iudicium certum omnique dubitatione exemptum non pervenimus. Ex ipsis enim veterum testimoniis nihil fere lucis ad hanc quaestionem redundare supra vidimus. Qui vero iam dudum suspicionem moverunt Tabulae loci, ex iis unus interpolatione videtur vitiatus esse; ex altero nisi audaciorem Drosihni argumentationem sequimur, nihil efficitur, quo Tabulae auctorem Socraticum Cebetem nullo modo putari posse appareat. Quamquam cum octoginta annos natum illum Socratis discipulum hoc opus confecisse nullos habeat probabilitatis numeros, in eorum sententiam inclinabimus, qui Pinacem Socratici Cebetis non esse existimant.

Jam igitur videamus de Cebete Cyziceno, quem solus Athenaeus IV 45 p. 156 d. commemoravit, sed ita, ut de eius vita et scriptis nihil omnino cognosci possit. Drosihnus ne de hoc cogitemus, id obstare vult, quod inde a secundo post Chr. n. saeculo omnes Tabulam tribuissent Socratico. At hoc non recte ab illo contendi supra vidimus[1]). Non plus valet Jerramii argumentum, qui dicit[2]) aequalem Luciani in illius operibus non potuisse designari vocabulo ἐκεῖνος. Cuius enim opus ab omnibus lectitatur et in omnium ore versatur, is cur vivus „notus ille" non possit vocari, haud intellego. At id ipsum in magna illa fama, qua Tabulam, si modo Cynici Cebetis erat, floruisse propter Luciani illud ἐκεῖνος statuemus, valde mirandum esset, quod Athenaeus ne verbo quidem commemorat opus a Cebete confectum. Quod quamquam non eo valet, ut Pinacem a Cynico Cebete ullo modo componi potuisse negemus, praesertim cum ea, quae de

---

[1]) p. 13.

[2]) praef. p. X adn. 2.

auctoris sententiis et aetate mox videbimus, a Cynico illo haud nimis discrepent, id tamen licet asserere, quae de Cynico Cebete comperta habemus, ea pauciora esse, quam ut illi potius quam alii cuidam Cebeti, de quo silet auctorum memoria, Tabulam liceat adscribere.

II. De philosophorum, quae Tabula continentur, sententiis.

Tabula quamvis cursim perlecta nemo non hoc persuasum habebit, auctorem non id agere, ut de rebus philosophis ratione ac via disceptet aut hanc vel illam philosophorum familiam vera docere evincat eiusque dogmata a ceterorum reprehensione defendat, sed ut de vita recte instituenda exponat accommodate ad communem intellegentiam moresque excolat. De his autem quisquis non hominibus philosophorum doctrina imbutis, sed cuivis hominum generi ut scriberet sibi proposuit, eum consentaneum est omissis familiarum controversiis non uni ita se addicere, ut ceteras omnes a se reiciat, sed undique, quae illi studio usui sunt, assumere. Id quod illustratur philosophiae apud Graecos historia. Quo enim magis non in veritate exploranda, sed in moribus excolendis operam collocabant philosophi Graeci, eo magis eclecticismo, qui vocatur, usi ex diversarum sectarum doctrinis quae probabilia videbantur congerere consuerant neque dubitabant ad eos auctores provocare, quorum sententias de philosophia prolatas alias respuebant. Testes cum alii sunt, tum Panaetius, quem Cicero de fin. IV 28, 79 dicit semper in ore habuisse Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum. Testis est Seneca, qui Platonem admiratur et pariter dicit „noster

Demetrius" atque „noster Chrysippus". Hac autem re in disquisitione de philosophi libri origine instituenda maxima nascitur difficultas. Qui enim effectum ad mores pertinentem potius quam demonstrationem ratione ac via perficiendam sibi proposuit ob eamque rem ea, quae pluribus sectis communia sunt, magis premit quam ea, quae non conveniunt, quique diversarum familiarum philosophos laudat, eum, nisi aliunde cuius sectator et quando fuerit, cognoveris, non facile certae cuidam sectae atque aetati assignabis; nisi quod id ipsum, quod popularem qui dicitur philosophum et eclecticum se praebet, documento esse infra videbimus recentiore eum aetate fuisse. Similem eius, de qua nos agimus, quaestionis condicionem esse, vel ex eo licet suspicari, quod disciplinarum Pythagoricae, Eleaticae, Socraticae, Platonicae, Stoicae, Cynicae vestigia in Tabula deprehendisse viri docti sibi visi sunt. Quod quo iure fecerint, nunc videamus.

Atque primum Pythagoricae et Eleaticae doctrinarum vestigia distinguenda sunt a Stoicae et Cynicae disciplinarum vestigiis; illis enim, cum per Socratem ad Pinacis auctorem illarum sectarum dogmata permanare potuerint, non vetamur Tabulam iudicare Cebetis; haec vero si re vera exstare cognoverimus, fieri non poterit, quin recentiore aetate auctorem fuisse censeamus. De Platone ambigua res est, cum Cebetem ab aequali suo nonnulla accipere potuisse negari non possit, attamen aliunde certiores non fiamus minores illos qui dicuntur Socraticos a mera et integra Socratis doctrina recessisse.

Pythagoricis auctorem favisse Bruckerus contendit, eo Tabulae loco, quo Pythagorica vita collaudatur (2, 2) et absurdo illo Suidae argumento, de quo supra diximus[1]),

[1]) p. 11 sq.

seductus. Quibus ille tantum tribuit, ut Tabulam velit esse „Pythagoricam picturam illustratam Socratis sententiis et dogmatis“. Feurlinus, quamquam negat ullam Pinacis sententiam ad Pythagorae disciplinam certo esse referendam, tamen ita Bruckero assentitur, ut nonnulla Pythagoricae philosophiae speciem prae se ferre concedat[1]). Falso, ut mihi videtur, uterque. Quod enim 2, 2 Pythagorica vita laudibus tollitur, inde haudquaquam licet colligere auctorem etiam disciplinam eorum amplexum esse aut Pythogorica praecepta libro suo illustrare. De *προϋπάρξεως* autem dogmate recte Jerramius praef. p. XXIII monuit, eam rem, quod ante huius vitae introitum numen divinum c. 4 hominibus de vita praecipiens fingitur, nullius esse momenti, cum in iis, quae sequuntur, ratio non haberetur nisi huius vitae. Toto enim caelo hic dialogus differt a Platonis illa fabula, quae exponitur de rep. X p. 614 sq., ubi sermo non est nisi de eis, quae ante hanc vitam eveniunt. Facilius commoveare ut assentiaris Jerramio, qui postquam pluribus Bruckeri sententiam refutavit et demonstravit nulla in parte Tabulae ita Pythagoricae philosophiae auctorem se praebere addictum, ut quae ex illorum disciplina assumpsisset, ea ab illis ipsis, non a Socrate, qui ea comprobasset, didicisse putandus esset, monet de Pythagorica illa littera *Υ*[1]), cuius totum hunc dialogum esse quasi quandam ex-

---

[1]) In ipsis Pythagorae sectatoribus eam ob causam Feurlinus p. 49 auctorem numerandum esse non vult, quod praeter Pythagoreorum consuetudinem librum ediderit publicique iuris fecerit. Itaque, si modo inveniantur Pythagoricae disciplinae vestigia, auctorem fuisse discipulum Platonis, qui multa a Pythagoreis assumpserit.

[2]) Cf. Lactant. divin. instit. 6 c., 3; quae illic de sinistra via dicuntur, ea in Tabula collata sunt in regionem *ἡδυπαθείας* 9,3: .. si vero doctorem frugalitatis non invenerit, in sinistram viam, quae

positionem. Atque hoc quidem negari nequit, a Pythagora vel ab eius discipulis bivium illud virtutis et vitii inventum esse; modo ne hoc neglegamus, hanc allegoriam tam tritam fuisse apud philosophos Graecos, ut ex hac re nihil colligere liceat de familia, cui Tabulae auctor erat addictus. Jerramius a Socrate vel Platone Cebetem talia vult potuisse adoptare: nos infra, ubi de hac re pluribus erit disserendum, quaeremus, nonne ad recentiores philosophos, qui illa propagarunt, sit decurrendum.

Quod Jerramius p. XXXIV ea, quae de animorum purgatione in Tabula produntur (14, 3 sq.; 19, 4), ad Pythagorae illud dogma referenda esse censet, persuadere mihi non possum ut ei assentiar. Recte enim idem Jerramius p. XXIV statuisse mihi videtur minime opus esse mystica illa interpretatione quaeque hic purgatio intellegeretur, eam non esse nisi morum correctionem per imaginem significatam.[1] Quae sententia ea re maxime commendatur, quod 19, 2 animi vera eruditione imbuendi cum corporibus purgatoriis sanandis comparantur.

Jam videamus de eis, qui Eleatarum dogmatis dicunt Cebetem favisse. Atque primum Jerramius (p. XXVI, p. XXXIV) in distinctione opinionis et scientiae auctorem vult secutum esse Parmenidem; a quo ita cum Platone eum recedere, ut non omnes utique opiniones falsas esse existimet. Hac de re idem mihi videtur valere at-

---

melioris speciem mentiatur, incidere, i. e. desidiae, inertiae, luxuriae se tradere (quae suavia quidem videntur ad tempus vera bona ignoranti [μέχρι μέν τινος ἡδεῖα δοκεῖ εἶναι ἡ διατριβή]); post autem omissa omni dignitate ac re familiari in omnibus miseriis ignominiaque victurum.

[1]) Jerram. p. XXIV: the language of the Tablet needs no such mystic interpretation ... The καθαρτικὴ δύναμις is an ordinary metaphor ... and containing no necessary reference to the Pythagorean or any other philosophic system.

que de virtutis et vitii bivio a Pythagoricis invento. Illa enim distinctio ab Eleatis profecta ab iis quae postea conditae sunt scholis fere omnibus recepta est, ita ut hac in re Eleaticorum philosophorum vel Platonis (cf. Jerr. p. XXXIV 3) vestigia auctorem pressisse non concedamus nisi quis probaverit ea, quae in Tabula de scientia et opinione traduntur, ita cum illis convenire, ut a posteriorum philosophorum dogmatis recedant; id quod neque a Jerramio probatum est, neque omnino mihi videtur probari posse. Hoc cum dico, non nego equidem Parmenidis librum auctori Tabulae innotuisse, immo hoc vel ex eo suspicor, quod aliqua inter se coniunguntur similitudine initium carminis Parmenidei et Tabulae ei loci, quibus de opinione et scientia exponitur.

Aliud latere Eleaticae philosophiae vestigium existimavit Schaberus[1]), qui auctori illorum doctrinam placuisse ex iis colligit, quae de „principio vere divino" c. 43 exponuntur. At primum haec sententia in lubrico nititur fundamento. Illi enim operis clausulae in nullo ex iis, quae nobis praesto sunt codicibus, sed in sola versione Arabica servatae vehementer dubito num quidquam momenti tribuendum sit, praesertim cum interpretem Arabicum in hoc libro tractando multa male intellexisse ridiculisque erroribus captum esse ex iis, quae Salmasius in praefatione editionis suae congessit, perspicuum sit[2]). Sed ut concedamus Schabero genuinam

[1]) Ueber das Gemälde des Kebes, Constanz 1862, p. 9, 43.

[2]) Paucis de iis moneam, quae non bene inter se convenire videntur; c. 41 ex.: qua illa a pravis actionibus esse creduntur; vocabulum quod est illa rettuleris ad virtutes, quas in praecedentibus capitibus traditum est male factis parari non posse. At c. 42 in. vocabulo „talia" significantur res mediae. Quod ne suspiceris interpretis Latini incuriae tribuendum esse, eandem discrepantiam invenis in Germanica versione Muelleri (in Kraussii editione Ger-

hanc clausulam esse[1]), ea, quam ille adhibet, interpretatio nullo pacto probari potest. Nam si illud „non malum“, a quo 43, 2 bona externa dicuntur proficisci, intellegendum esset numen divinum — id enim contendit Schaberus, magis eorum, quae de Beghardibus (cf. Schaber p. 9), quam eorum, quae de Eleaticis prodita sunt, memor; hos enim nemo auctor est docuisse deum neque bonum neque malum esse[2]) — iure mira-

manica Vindob. 1882): „.. als könnten diese Dinge aus bösen Handlungen entstehen. Ganz gewiss verhält es sich so, weswegen wir ja sagten, dass es weder Güter noch Uebel sind.“ Haec nemo non videt vehementissime inter se pugnare. Mihi quidem illud „illa“ ad res medias videtur referendum esse; quod si facis, nexus sententiarum hic est: Divitiae, gloria, victoria cetera nec bona sunt nec mala (c. 41, 3: οὐκ ἂν εἴη ταῦτα ἀγαθὰ οὐδὲ κακά). Atqui bona ea non esse, iis, quae praecedunt, demonstratum est; sequitur ut ostendatur illa mala non esse; id quod fit c. 42 sq.: Illae res a pravis actionibus (sc. solis) non sunt (Germanice non: als könnten diese Dinge aus bösen Handlungen entstehen, sed: müssten). Hoc igitur auctori in animo erat c. 42 sq. demonstrare, res externas non magis mala esse, quam bona. Atqui apparet totum libellum iis scriptum esse, qui nimium bonae valetudini, divitiis, ceteris rebus tribuunt momenti. Itaque nescio an hac re de hac clausula suspicio moveatur, quod iis, quae usque ad c. 41 ex. exponuntur, satis ostenditur, rebus externis studendum non esse, hic vero nova quaedam argumentatio incipit, qua ad id consilium, quod toto libello auctor sequebatur, perficiendum opus non erat. Quamquam Salmasius rectum artis criticae adhibendae modum transgressus esse mihi videtur, cum id suspicioni esse diceret, quod in fine totius operis senex peregrinos orat, ut, si quid dubitent ad se redeant; neque enim quidquam inscriptionem polliceri, nisi picturae explicationem; itaque adhortationem illam „non ultra crepidam, sed plane extra Tabulam esse“.

[1]) Quae Schaberus p. 9 dicit causae fuisse, cur medio aevo haec capita omitterentur, de his vix quisquam ei assentietur. Vult enim propter similitudinem eorum, quae Beghardes et Lollhardes docebant, hanc partem libelli esse deletam.

[2]) Non nego ex Eleatica doctrina hoc sequi, ut sine qualitatibus deus sit; sed ipsi Eleatici philosophi hoc non tradiderunt. Rectissime autem Zellerus (die Philosophie d. Griechen II 1, p.

remur, quod „plerisque“ hominibus, non omnibus Cebes dicit divitias, paupertatem, cetera id genus ab illo numine contingere. Quod si Schaberus p. 43 his studet explicare: . . daher sagt auch Kebes, dass den meisten Menschen die einen Gaben von dem göttlichen Wesen als Uebel . . ., die anderen als Güter . . . zukommen. Von diesen meisten Menschen sind also nach Kebes nur die Stoiker ausgenommen, da ihnen . . . nur Adiaphora . . . zu Theil werden, indem ja „die Tugend das einzige Gut ist“, ipsa haec verba „als Uebel“, „als Güter“, quibus ille sententiae subvenire studet, in interpretatione Arabica desiderantur. Mihi quidem illud „a non malo“ idem significare videtur atque supra illud „a (non) pravis actionibus“. Deceptus est Schaberus ea re, quod principium divinum 43, 1 deum existimavit intellegendum esse. Quod vocabulum si vertere liceret: „ab illo, quod statuimus“, vel „a proposito illo nostro divino“, omnia optime inter se convenirent. Hanc significationem Arabicis verbis subesse non posse me docuit vir doctissimus Kesslerus Marburgensis. Sed dubito an interpres Arabicus ea, quae in Graeco textu exstabant, male intellexerit. Illic enim suspicor scriptum fuisse: *ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρχῆς*, quod vocabulum eadem significatione invenitur adhibitum apud Dionem Chrys. or. 20, p. 297 Dind.: *εἴρηται δέ μοι πάντα ἀπ' ἐκείνης τῆς ἀρχῆς καὶ ἐκτροπῆς* . . .; or. 7 p. 137 Dind.: *ἀπὸ γὰρ αὐτῆς ἀρχῆς ταύτης*.

Mere Socraticam Tabulae philosophiam esse qui nuperrime contendit, Jerramius[1]), nihil probavit. Quae enim e Tabula congessit Socratis decreta, ea omnia a

115 n. 1) monet ne ea ipsi philosopho tribuamus, quae ex eius decretis sequuntur, quae vero sequi ipse aut non vidit aut non pronuntiavit.

[1]) Praef. p. XXXIV.

recentioribus sectis, quarum quasi fons erat Socratis disciplina, sunt iterata. Itaque ostendendum erat Tabulam Socratis praeceptis favere etiam in iis, in quibus a Socrate dissenserunt Plato, Stoici, Cynici, neque quidquam in hoc opere obvenire, quod nisi ab iis, qui post Socratem fuerunt, peti non potuerit.

Ad Platonem auctor provocavit 33, 3. Qui locus cum eorum, qui Tabulam Cebetis Socratici esse putant, sententiae repugnare videretur, sic interpretatus est Bruckerus: „Litterae et reliquae disciplinae, quas vel ipse Plato (iisdem magis quam par est deditus) adolescentibus freni instar esse ait.“ Quam ad interpretationem contortam quare confugiendum sit, non intellego. Unde enim scimus ita Cebetem Socrati addictum fuisse, ut nihil aliunde assumeret in iisque rebus omnibus a Socrate staret in quibus Plato ab illo recesserat?[1]) — si modo in hac re inter se dissenserunt Socrates et Plato. Vix enim mihi persuadeam Socratem Platonis sententiam de leg. VII 808 prolatam fuisse repudiaturum.

Eorum, qui auctoris de philosophia sententias Platonicas esse voluerunt, nomina apud Feurlinum invenis commemorata. Argumentis utuntur his[2]): Notionem opinionis, quae est in Tabula, Casaubonus plane vult

---

[1]) In longe plurimis dogmatis Cebetem, Aeschinem, ceteros minores, qui vocantur, Socraticos magistrum suum secutos esse, ex iis, quae de eorum indole comperimus, perspicuum est. Sed in iis rebus, quibus minus momenti tribuendum esse videbatur, ceteris quoque eius aetatis philosophis eos aures praebuisse, ipsa ratio docet. De litteris pariter atque Socratem eos iudicasse testis est Themist. or. 34, 5. Cui non repugnabimus, si Cebetem illud iudicium Platonis assumpsisse statuemus, quod iis, quae Themistius de dissensione Socraticorum et Platonis exposuit, non tangitur.

[2]) De Pythagoricae doctrinae vestigiis, quae nonnulli documento esse voluerunt auctorem Tab. Platonicum fuisse v. supra p. 25 sq.

convenire cum Platone. Nos auctorem hac in re multo propius ad Stoicos accedere infra demonstrabimus. Deinde ei loco, qui est Tab. 23, 4, Casaubonus monet aliquam similitudinem esse cum eo Platonis loco, qui est Menex. 247e sq. Quos locos si comparaveris inter se, profecto de similitudine illi assentieris. Neque tamen inde id quod Casaubonus vult efficitur. Primum enim auctoris cum Platone consensio tum demum testimonio esset Platonicorum in numero illum putandum esse, si Plato ea in re a ceteris philosophorum scholis dissensisset; quae vero non solum apud Platonem, verum etiam apud alios philosophos plurimos inveniuntur — eam, de qua agimus, sententiam Stoicis tritissimam fuisse infra ostendemus —, iis nihil de auctoris familia evinci recte monet Feurlinus. Accedit aliud: illa enim sententia apud Platonem non occurrit, nisi uno illo Menexeni loco; eius autem dialogi auctoritas est infirmissima[1]). Minus etiam audiendus est Wolfius, qui Pinacis auctorem Platonicum fuisse censet propter eam quae inter Tabulam et Platonis ad Aristodorum epistulam[2]) intercedit consensionem. Ut omittam quaerere de auctoritate Platonis quae feruntur epistularum: quae Wolfio obversata sunt verba: *τὸ γὰρ βέβαιον καὶ πιστὸν καὶ ὑγιές, τοῦτο ἐγώ φημι εἶναι τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν, τὰς δὲ ἄλλας τε καὶ εἰς ἄλλα τεινούσας σοφίας τε καὶ δεινότητας κομψότητας οἶμαι προσαγορεύων ὀρθῶς ὀνομάζειν*, ea tam late patent, ut ex iis cognationem quandam artiorem inter Tabulae auctorem et Platonem nequaquam liceat statuere[3]).

---

[1]) cf. Zeller, d. Phil. d. Gr. II 1, p. 418.

[2]) Platonis epist. 10.

[3]) Platonis dialogorum auctorem Tabulae non ignarum fuisse

Jam de iis videamus, qui cum Stoicam doctrinam e Tabula redolere arbitrarentur, Socratico Cebeti eam abrogaverunt. Primi hanc in sententiam exposuerunt Hieronymus Wolfius aliique viri docti nonnulli, quos enumerat Feurlinus. Pluribus deinde eadem sibi videri professus est Meinersius (comm. soc. Gotting. 1782): Zenoni, non Socrati convenire iudicium c. 13 de poëtis, dialecticis, ceteris factum; Stoicum esse vocabulum quod est *δόξαι* pro falsis quibusvis opinionibus adhibitum. Schaberus item Stoicam doctrinam vult placuisse Tabulae auctori, cuius aetatem angustioribus finibus studet circumscribere. Atque ante medium tertium a. Chr. n. saeculum Tabulam confectam esse ex eo colligendum esse existimat, quod auctor eruditione ac litteris opus non esse contenderit. Hanc enim sententiam fuisse antiquiorum Stoicorum; quos omnes id potius egisse, ut praeciperent de vita recte instituenda, quam ut naturae rationisque humanae leges exquirerent. Drosihnus[1]) contra ob eandem rem, quod bene vivendi disciplinam hic liber tradit atque id accommodate ad communem intellegentiam, ei tempori eum assignat, quo „Graecis verbis, Romanis moribus" consuerant philosophari — pri-

---

facile tibi persuadebis, si comparaveris Tab. 2, 2 sq.: *Πυθαγόρειόν τινα καὶ Παρμενίδειον ἐζηλωκὼς βίον.... Καὶ ἐθαύμασά γε, ἔφη, αὐτὸν πολυχρόνιον* (sic enim scribendum esse existimo cum Sauppeio l. l. p. 772 et Muellero l. l. p. 61) *νεώτερος ὢν* cum Platonis rep. 600 b.: *καὶ οἱ ὕστεροι ἔτι καὶ νῦν Πυθαγόρειον τρόπον ἐπονομάζοντες τοῦ βίου διαφανεῖς πῃ δοκοῦσιν εἶναι ἐν τοῖς ἄλλοις*, Theaet. 183 c: *Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τέ μοι ἅμα δεινός τε· συμπροσέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ*. Soph. 217 c: *Παρμενίδῃ... διεξιόντι λόγους παγκάλους παρεγενόμην ἐγὼ νέος ὤν, ἐκείνου μάλα δὴ τότε ὄντος πρεσβύτου*; vix dices casu hunc consensum effectum esse.

[1]) Die Zeit des *Πίναξ Κέβητος* p. 12.

moque post Chr. n. saeculo censet Pinacem conscriptum esse. Quorum utri assentiendum sit, infra videbimus.

Haec sunt, quae ex philosophia Tabulae de auctore effici viri docti statuerunt. Qua in re miror, quod in paucis quibusdam locis adhuc lis versata est, totum libellum perlustrare omnesque examinare sententias nemodum instituit. Ita factum est, ut loci quidam, qui ad hanc quaestionem plurimum afferunt momenti, a nullo tangerentur, cum alii, quibus nihil aut non multum proficitur, iterum atque iterum pertractarentur. Unde magna illa, de qua supra exposuimus, virorum doctorum dissensio orta est. Cum enim hoc vel illo loco certae cuiusdam philosophorum scholae vestigia sibi videbantur deprehendisse, huic confestim asserebant auctorem addictum fuisse neque ceterarum huius libelli partium habebant rationem. Quod si fecissent, fieri non potuisse existimo, ut tantopere illi inter se pugnarent. Licet enim satis late pateant neque ex certa quadam philosophorum schola primo obtutu videantur hausta esse ea quae in Tabula inveniuntur praecepta, tamen adeo non deesse arbitror Stoicae doctrinae indicia, ut huic familiae auctorem summo iure possimus assignare.

Jam igitur in auctoris de philosophia sententias ita inquiramus, ut primum videamus, quam doctrinam amplexus sit de rebus bonis et malis et mediis, deinde, quaenam tradat de virtutibus et vitiis.

1. De rebus bonis et malis et mediis.

a. De rebus bonis et malis.

Plurimos homines ad beatitudinem nixos Cebes ea re docet labi, quod non recte iudicent de bonis et malis et iis, quae nec bona sint nec mala. Partem enim mortalium res fortuna oblatas earumque usum immoderatum

putare summum bonum (Tab. 3,2 sq.; 8,3; 28,3); alios in litteris et artibus liberalibus omnem operam consumere, his vera doctrina se imbui ratos (c. 13 sq.). Neutros recte. Veram enim disciplinam eam esse, qua animos metus expertes homines accipiant et cognoscant nihil sibi in hac vita accidere posse, quod sit metuendum (18,4). Qua qui imbuti sint, eos unum bonum declarare rationem, unum malum mentem ratione carentem (41,3). Vehementissime ubique premitur recta bonorum et malorum cognitio; hanc qui consecutus est, servatur, qui non, perit (3,3); litterae nihil prosunt nisi desieris errare de bonis et malis (34,2); falso de rebus mediis iudicio sollicitantur homines et calamitatibus afficiuntur (40,1). Omnis igitur beatitudo in scientia ponitur.

Sed hic iam subsistamus et audiamus Schaberum, qui magnam eamque duplicem inter Socratem et Cebetem intercedere vult discrepantiam, ex qua elucere studium Stoicae vel Cynicae doctrinae. Socratem enim si sequamur, ante omnia opus esse scientia; inde virtutes morales rectamque vivendi rationem manaturas esse. Cebetem contra primum desiderare abstinentiam et moderationem (16,2), scientiam secundo loco ponere[1]). Deinde inter eam scientiam, quam intellegat Socrates et scientiam Cebetis id interesse, quod ille voluerit explorari quid et quale id esset de quo ageretur neque iudicium fieri nisi recta omnibusque ex partibus absoluta rei definitione effecta („begriffliches Wissen"), Cebes contra hac scientia et omnino eruditione et disciplina careri posse contenderit[2]). Quibus haec respondeo: primum quod Schaberus contra

[1]) Schaber l. l. p. 36.

[2]) Schab. p. 35: Nach unserem Gemälde ist aber die Erkenntniss eines Begriffs und wissenschaftliche Bildung gar nicht nöthig, um zur Tugend und wahren Einsicht zu gelangen.

Socratem pugnare dicit temperantiam et moderationem scientiae antepositas, ipsius Socratis Xenophontei (comm. 1, 5, 4 sq.) verba probant contrarium; haec enim legimus apud Xenophontem: *ἆρά γε οὐ χρὴ πάντα ἄνδρα ἡγησάμενον τὴν ἐγκράτειαν ἀρετῆς εἶναι κρηπῖδα ταύτην πρώτην ἐν τῇ ψυχῇ κατασκευάσασθαι; τίς γὰρ ἄνευ ταύτης μάθοι τι ἀγαθόν;*[1]) Deinde quod Schaberus vult cognitionem et scientiam recta rerum definitione partam Cebeti supervacaneam visam esse, nescio, unde hoc colligi possit. Deceptus est vir doctus vocabuli, quo ipse utitur, „wissenschaftliche Bildung“ ambiguitate. Si enim ita accipis hanc vocem, ut significet eam eruditionem, qua vales ad intellegendum, quid et quale sit id, de quo quaeritur — eam autem vim apud Schaberum vocabulo subesse declarat nexus sententiarum — ne verbo quidem Cebes docet hac eruditione opus non esse; immo ipsa res ac ratio postulat, ut is qui recte et melius, quam fieri solet, de bonis et malis velit iudicare, ea vel maxime sit instructus. Sin autem „wissenschaftliche Bildung“ intellegitur litterarum scientia, hanc necessariam non esse Cebes exponit c. 33 sq., sed in hac re a Socrate non dissentit. Adde quod Stoici, quorum doctrinam Schaberus (p. 46) Cebetem dicit amplexum esse, ipsi quoque ita Socrati assentiuntur, ut imprimis scientia opus esse ad virtutem, vel potius ipsam virtutem scientiam esse tradant[2]): iam tibi persuadebis

---

[1]) Similiter Xen. comm. 4, 5, 8 (si modo hoc caput Xenophontis credimus): *Ἔοικεν ἄρ', ἔφη, ὦ Εὐθύδημε, ἄριστον ἀνθρώπῳ ἐγκράτεια εἶναι; Εἰκότως γάρ ..* Non repugnare hanc temperantiae aestimationem iis, quae Socrates docuit de scientia summo loco ponenda Zellerus exponit Gesch. d. Ph. d. Gr. II 1, 135 n. 2.

[2]) Ne Aristo quidem negat virtutem disciplina parari et scientiam esse. Cf. Galeni Hipp. et Plat. 5,5 p. 468; 7,2 p. 595. Unus Cleanthes non in scientia, sed in voluntate tradidit virtutem positam esse.

Schaberi spem lucis alicuius ex hac, quam statuit, Cebetis a Socrate dissensione, cum Stoicis consensione ad hanc quaestionem manaturae ad irritum redigi Jerramioque[1]) concedendum esse pariter ac Socratem auctorem Tabulae virtutem ponere in scientia[2]). Quid quod in enumeratione virtutum 20,3 *ἐπιστήμη* primo loco commemoratur; quod praecipua eam dignitate esse 20,1 his verbis significatur: *πρὸς τήν ἐπιστήμην καὶ πρὸς τὰς ἄλλας ἀρετάς*; quod tota hominum miseria ab errore repetitur, quo, postquam Fraudis venenum biberunt, sunt offusi (5,3; 14, 3; 19, 4 sq.)

De scientiae igitur aestimatione a Socrate Cebes non dissentit. Id autem Stoicae disciplinae mihi videtur indicium esse, quod beatitudinem pendere vult ex scientia bonorum et malorum. Tantum enim momenti ei doctrinae, quae est de bonis et malis, Stoicos tribuisse cum multi testes sunt, qui de Stoicis memoriae prodiderunt, tum Plutarchus, cuius in libro qui de Stoicorum repugnantiis inscribitur 9, 4, 5, 6 haec legimus: *τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, ὃν αὐτὸς εἰσάγει καὶ δοκιμάζει συμφωνότατον εἶναί φησι τῷ βίῳ καὶ μάλιστα τῶν ἐμφύτων ἅπτεσθαι προλήψεων. Ταυτὶ γὰρ ἐν τῷ τρίτῳ τῶν Προτρεπτικῶν εἴρηκεν. Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τοῦτον τόν λόγον φησὶν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀφέλκειν τὸν ἄνθρωπον ὡς οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς οὐδὲ συνεργούντων πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδέν.* Eiusdem rei testis est Seneca, qui ep. 89, 14, ubi partes philosophiae moralis enumerat,

---

[1]) Jerram. praef. XXXIV 4.

[2]) Drosihnus p. 12 ipse quoque Cynicum vel Stoicum fuisse vult Tabulae auctorem, ad ea provocans, quae Diog. Laert. VI 1 et 11 de Antisthene prodidit. Sed Antisthenem scimus non minus quam Socratem censuisse virtutem disciplina tradi et in scientia positam esse (Diog. VI 105; cf. Adolph. Mueller. de Antisthenis Cynici vita et scriptis, Marburgi 1860, p. 42).

primum locum assignat ei disciplinae, quae est de bonis et malis[1]). Cum his conveniunt quae apud Ciceronem invenimus de fin. 5, 6, 15: hoc (summo bono) enim constituto in philosophia constituta sunt omnia. Socrates et Plato, ut non tantum quantum Stoici excoluerant eum locum, qui est de bonis et malis, ita non antiquissimam eam totius philosophiae partem ceterarumque quasi fundamentum esse affirmarunt. Item Stoici vel Cynici est rerum multitudinem dividere in bona, mala, ea quae nec bona nec mala sunt, sive, ut Ciceronis vocabulo utar, media (cf. Tab. 3,3; 38 sq., saepius). Vix mireris vocabulum, quo illi utebantur, *ἀδιάφορα*, ab auctore Tabulae adhibitum non esse; studebat enim scribere accommodate ad communem intellegentiam. Hanc divisionem a Socrate et Platone alienam invenerunt Cynici, a quibus eam receperunt Stoici[2]).

---

[1]) vel, ut Senecae verbis utar, inspectioni suum cuique tribuenti et aestimanti, quanto quidque dignum sit. Cf. etiam Senec. ep. 88, 28: una re consummatur animus, scientia bonorum ac malorum immutabili, quae soli philosophiae competit.

[2]) Diog. Laert. VI 105: *τὰ δὲ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα λέγουσιν*. Eadem divisio placuit Academicis, Peripateticis; sed horum in numero auctorem non fuisse infra videbimus. Tamen haud abs re videtur esse commemorare consensum quendam, qui est inter Cebetem et Xenocratem. Sext. Empir. enim in libro qui inscribitur adversus mathematicos 11, 3—4 haec dicit: *πάντες μὲν οἱ κατὰ τρόπον στοιχειοῦν δοκοῦντες τῶν φιλοσόφων καὶ ἐπιφανέστατα παρὰ πάντας οἵ τε ἀπὸ τῆς ἀρχαίας ἀκαδημίας καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ περιπάτου, ἔτι δὲ τῆς στοᾶς εἰώθασι διαιρούμενοι λέγειν τῶν ὄντων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθὰ τὰ δὲ κακά, τὰ δὲ μεταξὺ τούτων ἅπερ καὶ ἀδιάφορα λέγουσιν. Ἰδιαίτερον δὲ παρὰ τοὺς ἄλλους ὁ Ξενοκράτης καὶ ταῖς ἑνικαῖς πτώσεσι χρώμενος ἔφασκε· πᾶν τὸ ὂν ἢ ἀγαθόν ἐστιν ἢ κακόν ἐστιν ἢ οὔτε ἀγαθόν ἐστιν οὔτε κακόν ἐστιν* (cf. Tab. 3, 3). Qui consensus quam facile casu effici potuerit nemo est quin videat. Ceterum ne a Stoicis quidem haec partitio fuit aliena; cf. Stob. ecl. p. 172 (41 Mein.) *τὸ μήτε ἀγαθὸν μήτε κακόν.*

Alia deinde inter Socratem et Tabulae auctorem dissensio iis locis apparet, qui sunt Tab. 18,4 et 23,4: vera eruditione oriuntur *θάρσος καὶ ἀφοβία*, h. e. *ἐπιστήμη τοῦ μηδὲν ἄν ποτε δεινὸν παθεῖν ἐν τῷ βίῳ*. Is qui ad beatitudinem pervenit, *ἔχει οὐκ ἐν ἑτέροις τὰς ἐλπίδας τῆς εὐδαιμονίας ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ*. Ex his quantopere redoleat Stoica disciplina, nemo dogmatum illius sectae peritus non videt. Tritissima enim illorum est sententia cum a multis tum ab Epicteto (dissert. init., ench. 14) exposita, sapientis beatitudinem nulla e re nisi ex ipsius animo pendere neque quidquam esse quod metuat sapiens ne accidat quove, si acciderit, sollicitetur. Taedet notissimae rei ex veterum scriptis congerere testimonia; unius Ciceronis locum, qui ad Tabulae ea verba, de quibus agimus, proxime accedat, commemorabo[1]): iste vir altus et excellens . . , quem quaerimus, certe et confidere sibi debet ac suae vitae et actae et consequenti et bene de sese iudicare statuens nihil posse mali incidere sapienti[2]). Hoc autem Stoicorum proprium est, animi tranquillitatem philosophandi quasi finem et praemium proponere. Percurramus Xenophontis et Platonis libros: inveniemus virtuti studendum esse, quod qui eam adeptus sit, summis commodis afficiatur et ab hominibus et a deis; inveniemus porro, ea re virtutem commendari, quod virtus quasi sanitas sit animi, vitium morbus. At nusquam — nisi illo Menexeni loco, de quo supra diximus[3]) quique vix Platonis existimandus est — ea virtutis et sapientiae

---

[1]) Cic. de fin. 3, 8, 29.

[2]) Eadem animi condicio in Pseudo-Cratetis epist. (Hercher p. 212) describitur verbis *τὸν ἐφ' ἑαυτῷ θαῤῥοῦντα*. Quae epistula etiamsi genuina non est, tamen et verbis et sententiis commode est efficta.

[3]) cf. p. 34.

vis praedicatur, qua tranquillus fit animus non curans de rebus externis.

b. De rebus mediis.

α) De rebus externis.

Eae res, quas vulgo homines aut sequuntur aut fugiunt, vita mors, bona mala valetudo, divitiae paupertas, eae auctoris Tabulae sententia nec bonae sunt nec malae. Hoc mihi certissimum videtur indicium esse, quo appareat a Stoico vel a Cynico philosopho Pinacem esse conscriptum. Ceterae enim scholae omnes divitias, bonam valetudinem, cetera in bonis, contraria in malis ducebant. Academicos et Peripateticos ita docuisse nemo est qui ignoret. Socrates ille quidem eo loco qui est apud Xenophontem comm. 4, 2, 31 monet res externas, cum modo prosint, modo obsint, non magis bona quam mala esse. Attamen hae res ex bonarum rerum numero ab eo non eximuntur. Notio enim boni apud Socratem non continet perpetuitatem. Cum bonum eius sententia idem sit atque utile, illae res ubi prosunt, bona sunt, ubi nocent, mala. Unum esse bonum, quod ubique bonum sit omnibusque in locis prosit, Socrates non statuit[1]). Quam diverse ab iis, quae in Tabula proponuntur, Socrates iudicaverit de rebus externis, e Xenophontis iis locis cognoscitur, qui sunt comm. III, 12, 4; IV, 7, 9; Oec. 11, 8; Cyrup. 8, 2, 20—23[2]). De quorum locorum auctoritate nihil detrahit, quod Diog. Laert. II 31 de

[1]) Cf. Xen. comm. 3, 8, 3; 4, 6, 8—9. Ribbing Upsala Universitets Arsskrift 1870 p. 25. Si qua fides est Xen. comm. 4, 5, 6 — quod caput in suspicionem vocatum est — Socrates σοφίαν dixit μέγιστον ἀγαθόν, non μόνον.

[2]) Idem praedicat bonam famam; virtutem ob eam rem commendat, quod qui eam habet, maiore cum gaudio fruitur rebus fortuna oblatis.

Socrate haec prodidit memoriae: *Ἔλεγε δὲ καὶ ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην, καὶ ἓν μόνον κακόν, τὴν ἀμαθίαν. Πλοῦτον δὲ καὶ εὐγένειαν οὐδὲν σεμνὸν ἔχειν· πᾶν δὲ τοὐναντίον κακόν.* Quae a Socrate aliena esse et ex Cynici vel Stoici libro fluxisse rectissime monet Zellerus[1]). Similis locus est apud Stobaeum (floril. 93, 37): *πολλοῦ ἂν ἄξιον ἦν τὸ πλουτεῖν, εἰ τὸ χαίρειν αὐτῷ συνῆν* . . . . quem cum Schmidtio[2]) Cynico alicui vel Stoico puto tribuendum esse.

Facilius tibi persuadeas Platonem idem ac Cebetem de rebus externis facere iudicium. Haec enim eius verba sunt in eo dialogo qui inscribitur Euthydemus (281 e): *τί οὖν συμβαίνει ἐκ τῶν εἰρημένων; ἄλλο τι ἢ τῶν μὲν ἄλλων οὐδὲν ὂν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακόν, τούτοιν δὲ δυοῖν ὄντοιν ἡ μὲν σοφία ἀγαθόν, ἡ δὲ ἀμαθία κακόν.* At aliud est monere divitias per se ipsas bona non esse et sapientia opus esse ad rectum illarum usum — ut fecit Plato —, aliud omnem iis dignitatem detrahere — sicut fecerunt Cynici et Stoici. Nusquam Plato praecipit, ut spernamus divitias, bonam valetudinem, cetera id genus. Qua in re quanta fuerit inter Platonem et Stoicos dissensio, cum ea, quae, Plutarchum (de Stoic. rep. 15,4) si sequimur, Zeno vitio dedit Platoni, tum ipsius Platonis dialogus, qui Philebus inscribitur, et Leg. I 631 b. declarant. E ceteris, qui idem probant, locis unum transcribo, qui est apol. 30a sq.; ubi Socrates dicit omnes, quibuscum una esset, a se iuberi *ἐπιμελεῖσθαι μήτε χρημάτων* π ρ ό τ ε ρ ο ν *μήτε οὕτω σφόδρα ὡς τῆς ψυχῆς ὅπως ὡς ἀρίστη ἔσται, λέγων ὅτι οὐκ ἐκ χρημάτων ἀρετὴ γίγνεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς* χ ρ ή μ α τ α *καὶ* τ ἆ λ λ α ἀ γ α θ ὰ *τοῖς ἀνθρώποις ἅπαντα.* Itaque etiamsi

---

[1]) Philos. d. Griech. II 1, 150.

[2]) Ethik d. alten Griech. II 380.

Euthydemi ille locus non dissimilis est Stoicorum ratiocinationi, id tamen Plato ab illis discrepat, quod non ad vitam et usum adhibet illam argumentationem neque iubet res fortuna oblatas pro nihilo haberi. Divitias ceterasque res externas ut nihili faceremus planeque contemneremus Schmidtio[1]) assentior non praecepisse nisi Stoicos et Cynicos.

Jam videamus, quibusnam de causis divitiae, bona valetudo, ceterae eiusmodi res in bonis non numerentur. Prima ratiocinatio haec est: Qui male vivit, ei vita non bonum sed malum est. Dixeris iis, qui bene vivunt, bonum iis, qui male, malum esse vitam. At una eademque res fieri non potest ut et bonum et malum, et appetenda et reicienda sit. Sequitur vitam neque bonum neque malum esse, c. 36, 37. Similis argumentatio est de morte, de bona et de mala valetudine. Nonnunquam mors praeferenda est vitae. Itaque malum non est. Bona valetudo, cum interdum non prosit neque optanda sit, bonum non est, c. 38.

De divitiis quadruplex est ratio argumentandi:

1. Divites homines permulti male vivunt et improbi sunt. Itaque divitiae, cum non possint bonos reddere homines, non sunt bona; 39,1—3.

2. Divitiae non prosunt, nisi recte iis uti scias; itaque saepe nihil prosunt: ergo in bonis non sunt ducendae; 39,4—5.

3. Bona non sunt, quae malis et turpibus actionibus parantur. Atqui divitiae saepe efficiuntur caede, proditione, rapina, aliis sceleribus. Igitur divitiae non sunt bona; 40, 41.

4. Ea quae nihil obstat quin habeat homo improbus

---

[1]) Ethik d. alt. Griech. II p. 379.

et nequam, bona existimanda non sunt. Sequitur divitias e bonorum numero esse eximendas; c. 41: *οὐδὲ ὑπάρχειν ἅμα τῷ αὐτῷ δύναται* sq.

In ea argumentatione, quae continetur c. 36 et 37, iterum occurrit illa, quam supra[1]) perstrinximus, inter Socratem et Cynicos Stoicosque dissensio. Socratem enim si sequimur, nihil impedimento est, quin eadem res modo sit bona modo mala. Quando enim utilis est, bona est, quando non, mala. Stoici contra id solum appellant bonum, quod semper est bonum; unde fit, ut una res et bona et mala esse nequeat. Novum deinde hoc loco apparet indicium, quo, cuius sectae auctor Tabulae fuerit, ostendatur. Ea enim divisio, qua res distinguuntur in appetendas et repellendas, a Socrate et a Platone est aliena[2]). Adhibuerunt eam Peripatetici, Cyrenaici recentiores[3]), tritissima vero erat Stoicis, quibus Stobaeus (floril. II. 126, 142) tradit *πᾶν ἀγαθὸν αἱρετὸν εἶναι,... πᾶν δὲ κακὸν φευκτόν*. Eiusdem rei testes sunt veteres scriptores omnes, qui de Stoicorum dogmatis exposuerunt[4]). Itaque cum Cyrenaicis auctorem non favisse ne probari quidem oporteat, Peripateticorum dogmata ei non placuisse supra viderimus, relinquitur, ut novum hoc Stoicae disciplinae documentum esse iudicemus.

Prima deinde illa argumentatio, qua divitias bona

---

[1]) p. 43.

[2]) Vocabulum quod est *φευκτός* neque apud Platonem neque apud Xenophontem occurrit; is enim dialogus, qui inscribitur Axiochus, ubi *φευκτός* invenitur 369 b, Platonis non est.

[3]) Diog. Laert. II 124 tradit Simmiam scripsisse *περὶ αἱρετοῦ καὶ φευκτοῦ*; sed hoc scriptum genuinum non fuisse existimaverim propter illud, quod supra exscripsi (p. 10), Panaetii iudicium (Diog. Laert. II 64). De vocabulis *αἱρετός* et *φευκτός* cf. Didymi fragm. Mull. II p. 90; Sext. Empir. adv. math. VII 11.

[4]) cf. Plut. Stoic. rep. 13, 11; Diog. Laert. VII 101, 105, ubi substantiva occurrunt *αἵρεσις* et *φυγή*.

non esse ea ex re colligitur, quod homines iis non fiant virtutis studiosi[1]), ipsa quoque Stoicorum videtur propria fuisse. Unus mihi apud Xenophontem locus obvenit, quem primo obtutu huc pertinere arbitreris. Euthydemus enim (comm. 4, 2, 9) propterea collaudatur a Socrate, quod sapientiae non anteposuerit opes; ubi sic pergit Socrates: *δῆλον γὰρ ὅτι νομίζεις ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐδὲν βελτίους ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους, τὰς δὲ τῶν σοφῶν ἀνδρῶν γνώμας ἀρετῇ πλουτίζειν τοὺς κεκτημένους.* At quam longe haec absunt a stricta illa argumentatione! Ne verbo quidem Xenophon dicit eam effici conclusionem, ut divitiae in bonis non sint numerandae. Neque mirum, si cogitaveris de eo, quod Xenophon de divitiis fecit, iudicio a Cebete plane diverso[2]). Unde ratiocinatio illa petita sit, non dubitabis, si cum eis eam comparaveris, quae ex sollemnibus Stoicorum interrogatiunculis Seneca affert ep. 87, 12: Quod bonum est, bonos facit... Fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona.

Tertium argumentum ex usu divitiarum petitum (39,4—5) de iis admonet, quae, Pseudo-Platonis Eryxiae (397 d sq.) si fidem habemus, Prodicus disputavit de aestimatione divitiarum. Is tamen satis duxit ostendere divitias iis, qui bene iis uti sciant, bona, iis, qui nesciant, mala esse, neque eo progressus est, ut opes, cum non et bona et mala esse possent, neque bona neque mala esse praedicaret. Propius ad argumentationem Cebetis

---

[1]) Vocabulum quod est *σπουδαῖος* Schmidtius (Ethik d. a. Griechen I p. 335) monet ab Aristotele ita adhibitum esse, ut pertineret ad substantivum *ἀρετή*. Hunc usum Stoici videntur esse imitati, Stobaeus quidem (ecl. eth. p. 54 Meineke) haec memoriae tradidit: *ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦν στωικοῖς φιλοσόφοις δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι, τὸ μὲν τῶν σπουδαίων, τὸ δὲ τῶν φαύλων.*

[2]) cf. supra p. 40.

accedit Platonis ille locus, de quo supra diximus[1]) (Euthyd. 280 b. sq.), ubi haec legimus: *ἆῤ οὖν ἄν τι ὠφελοῖ, εἰ εἴη μόνον ἡμῖν (τὰ ἀγαθά), χρῴμεθα δ' αὐτοῖς μή... Ἆρ' οὖν ἤδη τοῦτο ἱκανὸν... τό τε κεκτῆσθαι τἀγαθὰ καὶ τὸ χρῆσθαι αὐτοῖς... Ἐὰν ὀρθῶς* (280 d e);... *Τί οὖν συμβαίνει ἐκ τῶν εἰρημένων; ἄλλο τι ἢ τῶν μὲν ἄλλων οὐδὲν ὂν οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακόν, τούτοιν δυοῖν ὄντοιν ἡ μὲν σοφία ἀγαθόν, ἡ δὲ ἀμαθία κακόν;*[2]) Strictam deinde in conclusionis formam hanc sententiam redegerunt Stoici, de quibus Diogenes Laertius VII 103: *ἔτι δέ φασιν ᾧ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι, τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀγαθόν· πλούτῳ δὲ καὶ ὑγιείᾳ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι· οὐκ ἄρα ἀγαθὸν πλοῦτος καὶ ὑγίεια.* Cf. Sext. Empir. adv. math. XI 61: *ᾧ γὰρ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι, τοῦτ' ἂν εἴη ἀδιάφορον· διὰ παντὸς δ' ἀρετῇ μὲν καλῶς, κακίᾳ δὲ κακῶς, ὑγείᾳ δὲ καὶ τοῖς περὶ σώματι ποτὲ μὲν εὖ, ποτὲ δὲ κακῶς ἔστι χρῆσθαι* (idem Pyrrh. III 177). Plut. Stoic. rep. 31,1: *ᾧ γὰρ ἔστιν εὖ χρήσασθαι καὶ κακῶς, τοῦτό φασι μήτ' ἀγαθὸν εἶναι μήτε κακόν*[3]).

Item Stoicis usitatam fuisse eam argumentationem, quae continetur c. 40—41 (*ὅτι οὐ γίγνεται ἐκ κακῶν ἀγαθόν* cet.), testis est Seneca, qui in Stoicorum argumentis, quae erant de mediarum rerum aestimatione, hoc quoque docet fuisse (ep. 87,22): Bonum ex malo non fit, fiunt autem ex avaritia divitiae: ergo non sunt bonum[4]).

Id quoque argumentum, quod ultimo loco commemoravit Cebes (41,3: *οὐδὲ ὑπάρχειν ἅμα τῷ αὐτῷ δύνα-*

---

[1]) cf. supra p. 41.

[2]) cf. Plat. Meno 88, Eryx. 397.

[3]) Similia invenis Plut. quom. ad. poet. aud. 34 d; 36 cd.

[4]) Cf. Clemens Strom. IV 483 c: *ἀγαθοῦ δὲ ποιητικὸν τὸ κακὸν οὐκ ἂν γένοιτο.*

ται. Πλοῦτον δὲ ... οὐδὲν κωλύει ὑπάρχειν τινὶ ἅμα μετὰ κακίας πολλῆς), forma paulum immutata et apud Senecam et apud Marcum Aurelium reperitur. Ille enim ep. 87, 15 sic argumentatur: Quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non est: opes autem et lenoni et lanistae contingunt: ergo non sunt bona. Ubi illud „turpissimo" facile agnosces idem sibi velle, quod apud Cebetem illud ἅμα μετὰ κακίας πολλῆς. Artiore etiam cognatione cum Cebetis ratiocinatione coniunguntur quae Marcus Aurelius IV 39 praecipit: κρινέτω μήτε κακόν τι εἶναι μήτε ἀγαθὸν, ὃ ἐπίσης δύναται κακῷ ἀνδρὶ καὶ ἀγαθῷ συμβαίνειν.

Ut omnia iam comprehendam, ex his argumentationibus, quibus divitias in bonis numerandas non esse demonstratur, una apud Platonem invenitur, sed vel haec a Stoicis exculta in strictioremque formam est redacta[1]). Ceterae omnes Stoicorum sunt propriae. Ex quinque illis sollemnibus scholae conclusionibus, de quibus Seneca exponit ep. 87, tres hae in Tabula obveniunt: 1. Quod bonum est, bonos facit ect.; 2. Quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest . . ect.; 3. Bonum ex malo non fit . . . ect. Quae apud Senecam non occurrunt duo Cebetis argumenta, ea Stoicis in usu fuisse testis est Diogenes Laertius VII 103: Οὐ μᾶλλον δὲ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ὑγίεια· οὐκ ἄρα ἀγαθὸν οὔτε πλοῦτος οὔτε ὑγίεια. Ἔτι δέ φασιν, ᾧ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι ect. (v. supra p. 45).

Argumenta illa a Seneca congesta si recte Zellerus (d. Phil. d. Gr. III 1 p. 199 n. 1) suspicatur ex Posidonii schola manasse, statuendum est non ante primum a Chr. n. saeculum Tabulam esse confectam. Sed cum

---

[1]) cf. p. 45.

illud certo explorari nequeat, huic temporis notae non multum tribuemus momenti.

Ex hac rerum externarum aestimatione consequitur, ut non affectanda sit earum possessio, praesertim cum inconstans sit Fortuna, quae eas distribuit (c. 31). Hoc est argumentum, quo etiam atque etiam Stoici ceterique, qui ad communem intellegentiam accommodate de rebus moralibus exposuerunt, philosophi recentioris aetatis usi sunt, ut ab illarum rerum cupiditate et studio deterrerent. Nec mirum. Libertate enim Graeciae adempta maximaque omnium rerum mutatione effecta fieri non potuit quin minus iam Graeci de sorte sua confiderent tristiusque de rebus humanis inciperent sentire. Cuius rei illustrius indicium esse non potest, quam quod Fortunam, quam prosperi successus deam intellegere soliti erant, inde ab ea aetate numen esse voluerunt varium et mutabile, cuius ab arbitrio ea petebant, quae a deorum iustitia peti non poterant[1]). Cum eadem aetate convenit, quod res a Fortuna oblatae cum pecuniis comparantur depositis, non dono datis, quique immemores inconstantiae Fortunae et fragilitatis rerum moleste ferunt, si quid eis ereptum est, cum argentariis ea, quae iis credita sunt, reddere gravantibus (Tab. 31,3 sq.). Sic Bion apud Stobaeum (flor. 105, 56): *Τὰ χρήματα τοῖς πλουσίοις ἡ τύχη οὐ δεδώρηται, ἀλλὰ δεδάνεικεν.* Seneca ep. 87: nisi forte iudices interesse utrum aliquis ab homine an a Fortuna mutuum sumpserit. Epictetus monet ne dicamus „amisi“, sed „reddidi“ (diss. III 24, 88; enchir. 11). Eodem pertinet Senecae locus de vit. beat. 21: divitias quidem ubi tutius Fortuna deponet, quam ibi, unde sine querela reddentis receptura est? Luciano nescio an ille Tabulae

[1]) cf. Schmidt, d. Ethik d. alten Griechen I p. 56 sq. De eadem re v. infra p. 94.

locus obversatus sit, cum haec scriberet (Menipp. p. 200 Jac. 477 sq.): *ἔνιοι δὲ ὑπ' ἀγνωμοσύνης ἐπειδὰν ἀπαιτῇ τὸν κόσμον ἐπιστᾶσα ἡ Τύχη ἄχθονταί τε καὶ ἀγανακτοῦσιν ὥσπερ οἰκείων τινῶν στερισκόμενοι καὶ οὐχ ἃ πρὸς ὀλίγον ἐχρήσαντο ἀποδιδόντες.* Plutarchi vero is locus, qui est cons. ad Apoll. 116 tam similis est Cebetis verbis, ut vix tibi persuadeas non aut Cebetis illa Plutarcho, aut Plutarchea Cebeti nota fuisse. Plutarchus enim postquam de Euripidis illo admonuit: *τὰ χρήματα οὐκ ἴδια κέκτηνται βροτοί*, sic pergit: *οὐ δεῖ οὖν δυσφορεῖν, ἐὰν ἃ ἔχρησαν ἡμῖν πρὸς ὀλίγον, ταῦτα ἀπαιτῶσιν· οὐδὲ γὰρ οἱ τραπεζῖται, καθάπερ εἰώθαμεν λέγειν πολλάκις, ἀπαιτούμενοι τὰ θέματα δυσχεραίνουσιν ἐπὶ τῇ ἀποδόσει, ἐάνπερ εὐγνωμονῶσι· πρὸς γὰρ τοὺς οὐκ εὐμαρῶς ἀποδιδόντας εἰκότως ἄν τις εἴποι· ἐπελάθου ὅτι ταῦτ' ἔλαβες ἐπὶ τῷ ἀποδοῦναι.*

Sapientis igitur est neque gaudere, si adeptus est bona fortunae, neque dolere, si amisit, sed, ut utar Cebetis verbis, *ἴσους γίγνεσθαι πρὸς τὰς παρ' αὐτῆς (τῆς Τύχης) δόσεις*, c. 31,2. Hoc loco is codex, quem in posteriore huius libri parte verborum recensendorum normam esse debere Muellerus[1]) mihi persuasit, V, praebet *ἴσους γίγνεσθαι*, C, in quo Drosihnus nisus est in textu posterioris partis constituendo, exhibet *ἥττους*, unde Drosihnus coniectura assecutus est *ἀηττήτους*. Muellerus[2]), cum in codice post *ἴσους γίγνεσθαι* desit *καὶ*, illud *ἴσους γίγνεσθαι* glossema esse ratus sic scribit: *κελεύει πρὸς τὰς παρ' αὐτῆς δόσεις μήτε χαίρειν ὅταν διδῷ μήτε ἀθυμεῖν ὅταν ἀφέληται.* Jniuria, ut mihi quidem videtur. Malim enim credere illud *καὶ* post *γίγνεσθαι* excidisse quam ad hanc structuram con-

---

[1]) De arte crit Ceb. Tab. adhib. p. 53, 68.
[2]) ibid. p. 56.

fugere: *πρὸς τὰς ... δόσεις μήτε χαίρειν*, quae quamquam explicari potest, tamen ab offensione libera non est. Accedit quod illud *ἴσους γίγνεσθαι*, cuius quae vis sit ipse Muellerus[1]) concedit ambiguum esse, haud possum a me impetrare ut credam in margine appositum esse ad interpretanda verba *μήτε χαίρειν — μήτε ἀθυμεῖν — καὶ μήτε ψέγειν — μήτε ἐπαινεῖν*, quae interpretatione minime indigent multoque facilius intelleguntur, quam illud *ἴσους γίγνεσθαι*. Id ipsum, quod, quae vis hoc loco esset vocabuli *ἴσος*, non perspexit, causa fuisse mihi videtur, cur Muellerus ita coniceret. Illud autem quid sibi velit, facillime cognoscitur ex Diog. Laert. VII 117: *ἴσως γὰρ ἔχειν πρός τε τὸ ἔνδοξον καὶ τὸ ἄδοξον* et ex Tel. apud Stob. flor. p. 125, 17 Meineke: *πρὸς δόξαν καὶ ἀδοξίαν ἴσως ἔχοντα*. *Ἴσως ἔχειν* igitur vel *ἴσον εἶναι πρός τι* statuemus significare immotum esse aliqua re, neque appetere aliquid, neque reformidare[2]). Quod cum optime cum hoc loco conveniat, addito illo *καὶ* sic scribo: *ἴσους γίγνεσθαι καὶ μήτε χαίρειν ...* Videtur Stoicis haec locutio in usu fuisse ad designandam sapientis contemptionem divitiarum, gloriae, ceterarum eiusmodi rerum. Diogenis quidem eo loco, quem supra exscripsi, de Stoicorum dogmatis exponitur; Teletem autem Stoicorum familiae addictum fuisse omnes consentiunt.

Ex eorum, qui recentiore aetate de philosophia ad communem intellegentiam accommodate scripserunt, su-

[1]) Ibidem: „ut mittam, quae vis sit vocabuli *ἴσος*, quaerere".

[2]) Huius locutionis explicatio facillima esse videtur. Ut enim *ἴσος δικαστής* (Plat. leg. 7, p. 957 c), *ἴσος κριτής* (Polyb. 17, 6, 1) is dicitur, qui neutri parti favet, sic de fortunis cum agitur, is *ἴσος* est, qui neutram in partem, i. e. neque in appetitionem neque in reiectionem inclinat quique illarum rerum et abundantiam et inopiam aequo fert animo.

pellectile verborum esse videtur, quod 26, 3 contemptio eorum, quae vulgo bona vel mala existimantur, his exprimitur: *ἐπάνω πάντων ἐστὶ* . . . Ipsum illud *ἐπάνω* nisi recentissimis temporibus metaphorice non adhibitum esse monet Drosihnus (in indice verborum editioni addito s. v. *ἐπάνω*)[1]). Sed usitatius hac significatione videtur fuisse *ὑπεράνω*. Cf. Diogenem apud Stob. flor. 86, 19: nobilissimos esse *τοὺς πλούτου* . . . *καταφρονοῦντας, τῶν δὲ ἐναντίων ὑπεράνω ὄντας, πενίας, ἀδοξίας, πόνου, θανάτου*. Luc. Demon. 3: *πάντων τούτων ὑπεράνω γενόμενος*. Tel. apud Stol. fl. 97,31: *εἰ δὲ πάντων τις τῶν τοιούτων ὑπεράνω γένοιτο*. Plut. mor. 10 b: *τὸ τῆς ὀργῆς ὑπεράνω γίγνεσθαι*.

A Socrate, Platone, Aristotele quantopere diversa sit ea, quam in Pinace invenis, rerum externarum aestimatio, supra[2]) exposuimus[3]). Nunc utrum Cynicum an Stoicum Tabulae auctorem fuisse probabilius sit, videamus. Atque — ut mittam quaerere de capitibus 42, 43, ubi res externas in malis ducendas non esse ipsis verbis dicit; dubiam enim horum capitum auctoritatem esse supra vidimus p. 30 —, tantum abest, ut Cebes velit paupertatem divitiis esse praeferendam, ut contra 31,6

---

[1]) *ἐπάνω* occurrit hac significatione adhibitum Diog. L. VI 28; cf. supra p. 13.

[2]) p. 40 sq.

[3]) Feurlinus p. 54 illud de rerum externarum aestimatione placitum non ita vult proprium esse Stoicorum, ut in ea re a ceteris familiis dissentiant. Sed quae huius sententiae profert argumenta, ea nihili facienda sunt. Quod enim Stoici dogmata sua dixerunt Socratica, inde non magis sequitur re vera Stoicos non fuisse nisi Socratis interpretes quam ex Ciceronis sententia (praef. ad parad.) paradoxa maxime Socrati convenire existimantis. Aeschinis autem dialogos, quos illius inter Socraticos et Stoicos consensionis Feurlinus gravissimum esse vult testimonium, nemo est hodie qui genuinos esse existimet.

iubeat ea, quae Fortuna praebet, accipi. Minime hoc ex Cynicorum sententia. Ut enim concedamus plurimos Antisthenis sectatores hac in re leniores fuisse Diogene, qui contendit *μήτε ἐν πόλει πλουσίᾳ μήτε ἐν οἰκίᾳ ἀρετὴν οἰκεῖν δύνασθαι*[1]), id tamen quaecumque de Cynicorum vita moribusque tradita sunt declarant, studuisse eos a divitiarum possessione quam maxime possent se expedire vitamque in summa paupertate degere, qua eos qui ad virtutem nituntur, adiuvari existimarent[2]). Huic Cynicorum sententiae oppone quae Seneca disputat de vit. beat. 21 ex., ep. 5, quaeque Stobaeus ecl. eth. 174 p. 43 Mein., Diogenes Laertius VII 106 tradunt de divitiis a Stoicis in praepositis quae dicuntur numeratis[3]): iam tibi persuadebis Stoicorum potius quam Cynicorum dogmata Cebeti placuisse.

β) De litterarum scientia.

Eorum, qui de rebus externis recte sentiunt, magna pars alio quodam errore obstricta tenetur: putant enim litterarum studio veram effici eruditionem. Hi sunt illi *Ψευδοπαιδείας* amatores, qui commemorantur 13 sq.; 23,2 sq., in quibus numerantur poëtae, rhetores, dialectici, musici, arithmetici, geometrae, astrologi, critici[4]).

---

[1]) cf. Stob. flor. 93, 35. Simile de boua fama iudicium fecit Antisthenes (Diog. Laert. 6,11): *τήν τε ἀδοξίαν ἀγαθόν*.

[2]) Diogenes apud Stoc. flor. 95, 11, 19; Crates apud Epiphan. exp. fid. 1089c: *ἐλευθερίας εἶναι τὴν ἀκτημοσύνην*. Cf. quae de Diogene et de Cratete narrat Diogenes Laertius VI 87.

[3]) Idem de Zenone memoriae tradidit Athenaeus VI 233b: *Ζήνων δὲ ... πάντα τἆλλα πλὴν τοῦ νομίμως αὐτοῖς καὶ καλῶς χρῆσθαι νομίσας ἀδιάφορα τὴν μὲν εὐχὴν αὐτῶν καὶ φυγὴν ἀπειπών, τὴν χρῆσιν δὲ τῶν λιτῶν καὶ ἀπερίττων προηγουμένως ποιεῖσθαι προστάσσων, ὅπως ἀδεῆ καὶ ἀθαύμαστα πρὸς τἆλλα τὴν διάθεσιν τῆς ψυχῆς ἔχοντες οἱ ἄνθρωποι ...*

[4]) De Hedouicorum et Peripateticorum commemoratione v. supra p. 17 sq.

Cum falsa hac Eruditione senex suadet ut aliquantum temporis versemur et quodcumque utile esse videatur ab ea accipiamus tamquam viaticum, 32,4. Dona eius sunt *γράμματα καὶ τῶν ἄλλων μαθημάτων ἃ καὶ Πλάτων φησὶν ὡσανεὶ χαλινοῦ τινος δύναμιν ἔχειν τοῖς νέοις, ἵνα μὴ εἰς ἕτερα περισπῶνται* (33, 3)[1]. Quamquam via non[2]) est ad veram eruditionem ferens nisi quae antea tulerit ad falsam Eruditionem, tamen non necesse est ornari falsae Eruditionis donis: (33,4) *ἀνάγκη μὲν οὐδεμία*; etsi nihil ea, quam *Ψευδοπαιδεία* praebet, scientia confert ad mores corrigendos quique ea imbuti sunt nihil iis praestant, qui ea carent (34,1), tamen eruditio illa non inutilis esse perhibetur: 33, 4—6. Haec primo obtutu inter se pugnare videntur. Quibus enim rebus

---

1) v. supra p. 15 sq. Eandem sententiam Isocrates Pan. 10 his expressit: *εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο δυνήσεται τὰ μαθήματα ταῦτα ποιεῖν ἀγαθόν, ἀλλ' οὖν ἀποτρέπει γε τοὺς νεωτέρους πολλῶν ἄλλων ἁμαρτημάτων.*

2) *Οὐκ ἔστιν* scribendum esse rectissime monuit Sauppeius l. l. p. 775, cuius coniecturam secuti sunt et is qui nuperrime Germanice vertit Tabulam, Kraussius, et Jerramius. Nullo totius libri loco alia via commemoratur, qua ad veram eruditionem possit perveniri; immo senex ipsis verbis dicit 32,4 priusquam ad hanc pervenias, ad falsam Eruditionem esse accedendum. Deinde totius picturae ratio impedimento est, ne de alia via cogitemus. Nam si verae Eruditionis domicilium cingitur falsae Eruditionis saepto, quonam modo ad illam adire licet, nisi priore hoc saepto permigrato? Accedit aliud argumentum atque id summi momenti: si *ἔστιν* responderet senex, consentaneum est hospitem hoc responso non acquiescentem quaesiturum esse: *ποία δέ ἐστιν αὕτη*; eamque viam describi. Is codex, quo usus est interpres Arabicus (de cuius praestantia cf. Muell. p. 76 sq.), et hic et eo loco, qui est 27,3 recte exhibebat *οὐκ*. Quod vero 35,2 ii commemorantur, quos videas *ἐκ τοῦ πρώτου περιβόλου παραγιγνομένους εἰς τὸν τρίτον περίβολον .. οἳ τούτους τοὺς μαθηματικοὺς παραλλάττουσιν*, id ita interpretandum est, ut non existimemus illos *Ψευδοπαιδείαν* omnino non attingere, sed quam celerrime pergere neque cum eius sectatoribus diutius versari.

ad eum finem, qui omnibus propositus est, virtutem et veram eruditionem, assequendum nulla vis inesse dicitur, iisdem aliquantum utilitatis attribuitur, cum convenienter iis, quae supra de auctoris sententia disputavimus, eae res, quibus homines non fiant meliores, in bonis non ducendae omnisque dignitas eis sit deroganda (cf. 39, 3 et p. 44). Deinde si illa ad virtutem opus non sunt, aliam quoque viam esse existimaveris, quae ferat ad veram Eruditionem neque senem imperare, ut cum falsa Eruditione versemur. Tollitur difficultas, si cum hoc capite comparaveris Senecae epistulam 88, cuius haec potissimum verba ad nostram quaestionem pertinent, ampliore explicatione sententiam a Cebete prolatam illustrantia (88,2): „Quidam illud de liberalibus studiis quaerendum iudicaverunt, an virum bonum facerent. Ne promittunt quidem nec huius rei scientiam affectant (20): Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possint, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant: . . . . liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt . . . . — Cum dicatis, inquit, sine liberalibus studiis ad virtutem non perveniri, quem ad modum negatis illa nihil conferre virtuti? . . . Non est, inquam, cur aliquid putes eius adiutorio fieri, sine quo non potest fieri. Potest quidem etiam illud dici, sine liberalibus studiis veniri ad sapientiam posse: quamvis enim virtus discenda sit, tamen non per haec discitur." Duplex igitur secundum Senecam est necessitas. Necessaria enim et ea sunt, quibus id, quod efficiendum est, efficitur — sicut ad virtutem necessaria est correctio morum, qua virtus efficitur — et ea, sine quibus illud effici nequit, quamquam non iis ipsis efficitur – ut artium liberalium studium. De priore illa necessitate si cogitas, „dici potest sine liberalibus studiis veniri ad

sapientiam posse", cum virtus non per haec discatur; hanc vero necessitatem si intellegis, artes liberales sunt illud, „sine quo non potest fieri" virtus. Pari modo duplex apud Cebetem distinguenda est utilitas: utilia enim et ea sunt, quae per se ipsa prosunt, et ea, quae quamquam per se ipsa pro nihilo sunt ducenda, id tamen efficiunt, ut facilius illa consequamur. Quam distinctionem si tenemus — quam Germanice exprimam vocabulis „direkter Nutzen" et „indirekter Nutzen" — facile, quid Cebes voluerit, intellegitur. Illam enim utilitatem si spectas, qua per se ipsae res sunt appetendae, nihil prosunt artes liberales neque quidquam qui eis student superiores sunt iis, qui earum scientia carent (c. 34). Una enim res expetenda est, morum correctio, ad quam illa non pertinent. Sin autem illam intellegimus utilitatem, quam ea habent, quibus res per se appetendas facilius consequimur, utiles sunt artes liberales duas ob causas: primum enim freni instar impediunt, ne ad deteriora studia delabaris (33,3); deinde efficiunt, ut intellegendi facultate acriore instructus ad virtutis studium aggrediaris. Haec enim sententia a Seneca pluribus exposita subesse mihi videtur ei loco, qui est Ceb. Tab. 33,6[1]).

Consentiunt igitur Cebes et Seneca artibus liberalibus *προπαιδείας* quandam utilitatem tribuendam esse; ipsas vero in bonis esse vel per se expetendas negant. Illud tamen interest inter Cebetem et Senecam, quod Seneca

---

[1]) Cur illud *ἀκριβέστερον γὰρ ἄν τι συνήκαμεν* mutilatum glossema esse velit Drosihnus, non intellego. Enuntiatum enim condicionale, quod deest, facillime potest suppleri. Interpolatori autem non est cur haec vocabula tribuamus, cum et optime conveniant cum nexu sententiarum neque quidquam habeant offensionis et optimus codex, quem in hac parte libri textus constituendi normam esse debere Muellerus ostendit, ea exhibeat.

id potissimum monet, disciplina illa, qua animus praeparetur ad philosophiam accipiendam, opus esse, Cebes hoc maxime tenendum esse existimat, illarum artium studium per se ipsum nihili esse.

Ex hoc iudicio de litterarum studio prolato quid consequatur de auctoris secta et aetate priusquam quaeramus, videamus, quasnam disciplinas eius sententia falsa eruditio comprehendat. Hedonicis et Peripateticis, quorum commemorationi hic locum non esse supra p. 22 vidimus, omissis relinquuntur poëtae, rhetores, dialectici, musici, arithmetici, geometrae, astrologi, critici. Hi autem, si missos facis poëtas, sunt tritarum illarum, quas *ἐγκυκλίου παιδείας* nomine designare antiqui solebant, disciplinarum studiosi. Quarum orbis non ante Alexandrinorum aetatem confectus est et absolutus. Ex Xenophontis illius quidem commentariis (IV 7) apparet multos Socratis temporibus operam dedisse geometriae, astrologiae, arithmeticae nimiosque Socratis sententia in illo studio fuisse. Plato[1]) disciplinas quasdam enumerat, quae ad eruditionem pertineant. Sed nusquam neque apud Xenophontem neque apud Platonem certus quidam commemoratur disciplinarum orbis, quibus pueri debeant instrui; quaeque Plato desiderat, ea pauciores adulescentes elegantioris doctrinae studiosi, non liberi omnes videntur tenuisse[2]). Aristoteles deinde (rep. VIII 2) quattuor has res docet vulgo pueros didicisse, grammaticam, gymnasticam, musicam, graphicam, hanc vero a nonnullis esse reiectam. His ipse Aristoteles adiungit mathematicam, dialecticam, rhetoricam. E quibus gym-

---

[1]) Theaet. 145 a; civit. II 376 e.

[2]) ut recte monere mihi videtur Cramer, Geschichte d. Erz. u. d. Unterr. im Altertum I p. 348. Chalcidius autem (in fine comm. in Tim.) ea, quae ipsius aetate fiebant, ad Platonis tempora videtur transtulisse.

nastica et graphica omissis aetate Alexandrina illa tanquam norma exstitit eruditionis, qua septem his disciplinis puer erat instituendus: grammatica, rhetorica, dialectica, musica, arithmetica, geometria, astronomia. Tum demum illum orbem confectum certisque finibus universam puerorum eruditionem circumscriptam esse vel ea re quadam ornatur veri similitudine, quod non prius uno nomine — *ἐγκύκλιος παιδεία* — eas artes, quae ad humanitatem pertinent, complectebantur[1]). Iis autem locis, qui sunt Diog. Laert. II 79, VI 103 nequaquam efficitur ipsi Aristippo aut Cynicis antiquissimis illud nomen in usu fuisse.

Poëtas quod addidit auctor septem illarum disciplinarum studiosis, mireris. Nam etsi summum studium in poëtarum carminibus legendis et ediscendis apud Graecos consumere solebant adolescentes, tamen carminum tractatio, cum grammatica vel critica arte comprehenderetur, disciplinis illis non est adiuncta. Tamen cum nulla sit causa, cur hoc vocabulum *ποιηταί* in suspicionem vocetur, in eo acquiescendum existimo, quod poëtarum studium gravissimam eruditionis partem Graeci esse voluerunt neque desunt loci, quibus poëtae una cum rhetoribus aliisve eorum, quibus animos excolendos adulescentes tradebant, commemorentur; cf. Synes. Dio: Gratias ago poëtis, rhetoribus, historicis; Basilius hom. *ποιηταῖς καὶ λογοποιοῖς καὶ ῥήτορσι . . . ὁμιλητέον*. Marc. Aur. I 17: *τὸ μὴ ἐπὶ πλέον προκόψαι ἐν ῥητορικῇ καὶ ποιητικῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιτηδεύμασιν.*[2]) Didymus

[1]) Cf. eos locos, quos congessit Wower de polymathia p. 275 sq.

[2]) Poëtas ut adderet nescio an Cebes commotus sit ea partitione, quam Stoici disciplinae suae admoverunt; qui logicam diviserunt in rhetoricam et dialecticam; dialecticae autem cum alias partes esse voluerunt, tum *περὶ ποιημάτων, περὶ μουσικῆς*, cf. Diog. Laert. VII 44. Xenocrates ex adulescente philosophandi cupido

(apud Mullachium II, p. 67): *μόνον δέ φασι τὸν σοφὸν καὶ μάντιν ἀγαθὸν εἶναι καὶ ποιητὴν καὶ ῥήτορα καὶ διαλεκτικὸν καὶ κριτικόν.*

Criticos consentaneum est hoc Tabulae loco non eos intellegi, qui vulgo hoc nomine designantur, sed cum grammaticorum in hac septem illarum disciplinarum enumeratione locum teneant, iisdem atque grammaticos studiis praeesse, qui, Senecam si sequimur[1]), circa curam sermonis versantur et si latius vagari volunt, circa historias, iam ut longissime fines suos proferant, circa carmina. Quodsi explorari posset, quanam aetate criticorum nomen ad eos, qui vulgo grammatici dicuntur, translatum esset, haud mediocre nancisceremur disceptationis nostrae adiumentum. Sed vereor, ne de hac re desperandum sit. Quod enim veteres[2]) volebant antequam grammatici nomen in usum veniret, hoc genus doctorum criticos audivisse, id exemplis probari non potest. Valesio enim, qui et hunc Tabulae locum et Ps.-Platonis Axioch. 366 e[3]) eius rei documento esse existimabat, ne assentiamur obstat, quod neque de Cebetis Tabulae neque de dialogi illius, qui Axiochus inscribitur, origine constat; Axiochus autem quin recentioris aetatis sit, vix quisquam est qui dubitet.

---

primum quaerit, num geometricis et astrologiae studuerit, deinde, num poëtarum opera legerit. Exc. e cod. ms. Flor. Jo. Dam. in ed. Stob. Meinek. IV p. 191.

1) epist. 88,3.

2) cf. Wolfii proleg. p. CLXXI.

3) *ὁπόταν δὲ εἰς τὴν ἑπταετίαν ἀφίκηται πολλοὺς πόνους διαντλῆσαν (ἐπέστησαν) παιδαγωγοὶ καὶ γραμματισταὶ καὶ παιδοτρίβαι τυραννοῦντες· αὐξομένου δὲ κριτικοί, γεωμέτραι, τακτικοί, πολὺ πλῆθος δεσποτῶν*, ubi Fischerus recte animadvertit criticos esse grammaticos, h. e. „interpretes poëtarum, qui etiam locos poëtarum egregios iusserunt pueros ediscere“. Neque enim de iis criticis hic agi potest, qui de genuinis aut spuriis poëtarum locis disceptabant; nam haec in ludis cum pueris non tractabantur.

Quae cum ita sint, recte Lehrsius[1]) mihi videtur statuisse, de tempore, quo usus ille increbuerit, nihil pro explorato esse habendum.

Dialecticos Drosihnus vult philosophorum sectam intellegi pariter atque Hedonicos et Peripateticos[2]). Idem nescire se dicit an id in hac disquisitione non neglegendum sit, quod manifesto auctor Platoni faveat. Solos enim Platonicos ex nobilissimis philosophorum scholis in falsae Eruditionis amatoribus non numerari. Quibus haec existimo respondenda esse. Primum quae de dialecticis Drosihnus exponit, pluribus refutari opus non est, nisi forte existimas, ex septem illis disciplinis, quibus *ἐγκυκλίας παιδείας* orbis conficitur, sex a Cebete esse commemoratas, septimam omissam eiusque in locum philosophorum scholam substitutam. Deinde quae de favore Platonis ille suspicatus est, ea teneri non possunt vocabulis quae sunt *Ἡδονικοί*, *Περιπατητικοί* deletis[3]); accedit quod illo *διαλεκτικοί* philosophorum familiam non designari modo vidimus.

Restat, ut quid ex eis, quae in Tabula de litterarum studio prolata sunt, de auctoris et secta et aetate efficiatur, exploremus. Atque qui Tabulam Cebetis Socratici esse censebant, hoc capite 13 sententiam suam arbitrabantur quam maxime defendi. Auctorem enim neque Platonicum, neque Stoicum fuisse inde apparere, quod dialecticam nihili faceret, cum Plato sapientem et dialecticum eundem existimasset Stoicique sapientem solum dialecticum esse contendissent (Diog. Laert. VII 83); eodem pertinere, quod Plato musicam et geometriam

---

[1]) de vocab. *φιλόλογος*, *γραμματικός*, *κριτικός* in Herod. script. III emendat. p. 401.

[2]) Drosihnus, die Zeit. d. *Πίναξ* p. 13. Cf. Diog. Laert. II 106.

[3]) p. 22.

maximi fecisset, Stoici artem poëticam laudassent (Plut. de tranq. an. p. 122).[1]) Mitto admonere de illo septem disciplinarum orbe, qui cum Alexandri demum temporibus constitutus sit satis declarat Pinacem Socratis aetate non esse compositum: id teneri volo, Cebetem neque contemnere dialecticam ceterasve illas disciplinas, neque ne iis operam demus suadere, sed id hortari, ne nimium in iis studium consumamus neve iis virtutem veramque eruditionem opinemur parari. Hoc autem Stoicis alienum non esse infra ostendemus.

Deinde quod de Socrate illi admonent, qui item sectatoribus suis imperaverit, ne nimii essent in geometria astronomiave discendis[2]), Cebes in iudicio de his rebus faciendo sequitur normam a Socrate plane diversam. Socrates enim ex illis artibus ea, quae ad vitam usui non sunt, a communi eruditione censet removenda esse[3]). Utilitas igitur, qua illa sunt ad vitam cotidianam, Socrati norma est iudicandi. Quae quantum absit a Tabula luce clarius est. Cebes enim *ψευδοπαιδείας* sectatores non ob id reprehendit, quod tempus terant iis rebus discendis, quarum usus non sit, neque quod eorum cognitioni operam dent, quae sint supra intellegentiam humanam, sed quia iis rebus veram animi eruditionem putent contineri, quae ad mores corrigendos nihil conferant quaeque qui sciunt non minus quam ceteri errant de bonis et malis perverseque et turpiter vivunt: Tab. 34. Deinde ea lit-

---

[1]) cf. Feurlin. p. 55.

[2]) Xenoph. comm. 4,7; cf. 1,1, 11—16.

[3]) Xen. comm. 4, 7,2: *γεωμετρίαν μέχρι μὲν τούτου ἔφη δεῖν μανθάνειν, ἕως ἱκανός τις γένοιτο, εἴ ποτε δεήσειε, γῆν μέτρῳ ὀρθῶς ἢ παραλαβεῖν ἢ παραδοῦναι ἢ διανεῖμαι ἢ ἔργον ἀποδείξασθαι* .... ibid. 3: *ὅ,τι μὲν γὰρ ὠφελοίη ταῦτα, οὐκ ἔφη ὁρᾶν* .... 5: *ὠφέλειαν μὲν γὰρ οὐδεμίαν οὐδ᾽ ἐν τούτοις ἔφη ὁρᾶν.*

terarum studii aestimatio, qua per se ipsum quidem non est appetendum, attamen eam ob causam non caret utilitate quadam, quod praeparat animos ad sapientiam accipiendam, Socratis ratione philosophandi plane est aliena. Similis quaedam vis a Platone[1]) litterarum eruditioni attribuitur, sed ne apud hunc quidem ratiocinationem illam invenis, qua scientiam litterarum illam quidem in bonis non esse, neque tamen inutilem esse demonstretur. Haec unice e Stoicorum sententia est explicanda, qui unum bonum esse voluerint, virtutem, neque tamen facere potuerint, quin alias quoque res utilitate quadam esse concederent. Et profecto Stoicos convenienter cum Tabulae auctore de artibus sensisse, cum ea declarant, quae e Senecae ep. 88 supra exscripsimus, tum Didymi locus a Mullachio II 67 allatus: *φιλομουσίαν δὲ καὶ φιλογραμματίαν .. καὶ καθόλου τὰς ἐγκυκλίους λεγομένας τέχνας ἐπιτηδεύματα μὲν καλοῦσιν, ἐπιστήμας δ' οὔ, ἐν τε ταῖς σπουδαίαις ἕξεσι ταῦτα καταριθμοῦσι.* In praepositis rebus, quas *προηγμένα* Stoici dixerunt, ipsis verbis raro invenio artes numeratas (cf. Diog. Laert. VII 106: *προηγμένα μὲν οὖν εἶναι . . . τέχνην*), sed aliis verbis idem exprimitur, cum Stob. ecl. 173 p. 42 Mein. commemorantur *τέχναι ὅσαι δύνανται συνεργεῖν ἐπιπλεῖον πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον.* Non necessariam artium eruditionem a Stoicis putatam esse testis est Didymus (Mull. II p. 69): *ἀναγκαῖα μὲν τὰς ἀρετὰς πάσας . . οὐκ ἀναγκαῖα δὲ . . . τὰ ἐπιτηδεύματα.*

Quodsi Stoicae familiae Tabulae auctor erat addictus, quanam aetate eum fuisse statuemus? Schaberus ante medium tertium a. Chr. n. saeculum vult Pinacem con-

---

[1]) De rep. VII 536 d: *τὰ μὲν τοίνυν λογισμῶν τε καὶ γεωμετριῶν καὶ πάσης τῆς προπαιδείας ἣν τῆς διαλεκτικῆς δεῖ προπαιδευθῆναι, παισὶν οὖσι χρὴ προβάλλειν.*

fectum esse. Etenim ea aetate id potius egisse Stoicos, ut praeciperent de vita recte instituenda, quam ut physicis et logicis quaestionibus darent operam. His philosophiae partibus cum Chrysippus quique post eum fuerunt maxime studuerint, fieri non posse, quin ante Chrysippi tempora Tabulam compositam esse existimemus[1]). Qua in re vehementer a Schabero dissentio. Quod enim dicit ante Chrysippum in sola morali philosophiae parte Stoicos versatos esse litterarumque, quae ad recte vivendum nihil prodessent, contemptionem prae se tulisse, nihil statui poterat perversius. Zeno ille quidem — ut memoriae prodidit Diogenes Laertius VII 32 — a nonnullis reprehensus est, quod in libro suo, qui erat de republica, inutilem dixisset eruditionem. Sed quo tempore ille liber compositus est, Cratetis ille etiamtum erat discipulus neque Xenocrate vel Polemone usus erat magistro[2]). Cum vero Cynicus esse desiisset novaeque scholae auctor exstitisset, longe aliam eius fuisse sententiam declarat multitudo placitorum eius ad physicen et logicen pertinentium[3]). Cuius mutationis causa haud scio an a Xenocratis vel Polemonis institutione repetenda sit. De Xenocrate quidem haec legimus apud Stobaeum (IV p. 205

---

1) Schaber l. l. p. 44.

2) Cf. Diog. Laert. VII 4. Wellmann in Fleckeiseni annalibus 1873 p. 437. (Num Xenocratem audierit, non satis constat.; cf. Zeller III 1, 27 n. 4.)

3) Cf. Wellmann l. l. 406: Wie der Begründer des Stoicismus die Einseitigkeit und Abgeschlossenheit der kynischen Moral aufgab, so drängte ihn nicht minder ein lebhaftes wissenschaftliches Bedürfniss, neben dem praktischen Teile der Philosophie den theoretischen nicht unangebaut zu lassen. — De Zenonis opera in physicis quaestionibus consumpta cf. ibidem p. 466—490; Weygoldt, Zeno v. Cittium u seine Lehre, Jena 1872 p. 15—36. Si recte Weygoldtius statuit in Diog. VII 41—48 non fere inesse nisi Zenonis dogmata, plurimum Zeno illis disciplinis tribuit.

Mein.). *Ξενοκράτης ὁπότε τις αὐτῷ σχολάζειν ἤθελεν οὐδενὸς τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων μετειληφώς, „ἄπιθι“, εἶπε, „λαβὰς οὐκ ἔχεις πρὸς φιλοσοφίαν· δεῖ γὰρ προμεμαλάχθαι διὰ τούτων τὴν ψυχήν“*[1]. Unum ea aetate Aristonem ita a Stoicis dissensisse, cum Cynicis consensisse accepimus, ut logicen et physicen plane reiceret (Stob. 80.7; 82.7, 11, 15). Ita Stoici, quamquam ethicen ceteris philosophiae partibus anteponebant hasque tanquam administras illius esse volebant, tamen primis post sectam conditam saeculis plurimum in physice et logice studii consumpserunt, tantumque abest ut recte de hac re exposuerit Schaberus, ut contra magno demum temporis spatio interiecto inde a Pancratii et Posidonii aetate exstiterint Stoici philosophi, qui et ipsi de ethice sola libros componerent et, quamquam ad animos praeparandos et coërcendos non negabant aliquantum valere eruditionem, tamen, ne nimium eis tribueremus, etiam atque etiam monerent[2]. E prioribus Stoicis philosophis unus Aristo[3] *προπαιδεύματα* ut vilia et vana verae eruditioni opposuisse perhibetur. Quae

---

[1]) Similis sententiae est illud quod fertur Pythagorae p. 493 Mullach: *ὡς πρὸ τῶν μεγάλων μυστηρίων τὰ μικρὰ παραδοτέον, καὶ πρὸ φιλοσοφίας παιδείαν.* Similiter Crantor. Exc. e m. flor. Jo. Dam. in edit. Stob. Meinek. IV p. 192: *Κράντωρ ἔλεγε μήτε δύνασθαί τινα τὰ μεγάλα πρὸ τῶν μικρῶν μυηθῆναι μήτ' οὖν ἐπὶ φιλοσοφίαν ἐλθεῖν πρὶν ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις διαπονηθῆναι.* Philo Iud. congr. qu. erud. grat. § 3: *χρὴ δ' εἰδέναι, ὅτι τῶν μεγάλων ὑποθέσεων μεγάλα καὶ τὰ προοίμια εἶναι συμβέβηκε. Μεγίστη δ' ὑπόθεσις ἀρετή ... Εἰκότως οὖν οὐ βραχέσι χρήσεται προοιμίοις, ἀλλὰ γραμματικῇ, γεωμετρίᾳ, ἀστρονομίᾳ, ῥητορικῇ, μουσικῇ, τῇ ἄλλῃ λογικῇ θεωρίᾳ πάσῃ.* De ceteris Philonis locis huc pertinentibus v. infr. p. 94.

[2]) Panaetius totus erat in philosophiae parte morali, cf. Zeller III 1 p. 502. Ex eclecticis qui dicuntur philosophis Cicero omnia existimavit posthabenda esse iis quaestionibus, quae sunt de moribus. Acad. I 4, 15; de fin. II 1,1; Tusc. V, 4, 10.

[3]) Diog. Laert. II 80.

enim apud Diogenem VII 8 exstat Zenonis epistula ad regem Antigonum data, in qua Zeno his illum collaudat: *ἀποδέχομαί σου τὴν φιλομάθειαν καθόσον τῆς ἀληθινῆς καὶ εἰς ὄνυσιν τεινούσης, ἀλλ' οὐχὶ τῆς δημώδους καὶ εἰς διαστροφὴν ἠθῶν ἀντέχῃ παιδείας*, ea num genuina sit, vehementer dubito[1]). Ex recentioribus contra notum est Senecam vehementissime in homines grammaticae ceterarumque liberalium artium nimis studiosos invectum esse (ep. 86). Cui consentiebant Epictetus[2]), Marcus Aurelius. Similiter atque Cebes duplicem eruditionem distinguit Dio Chrysost. or. 4 p. 69 Dind.

Statuemus igitur Stoicum philosophum Panaetii vel Senecae aetatis Tabulam conscripsisse. Non multum iis temporibus inter Stoicos et Cynicos interfuisse Drosihno (p. 13) concedo. Tamen cum vehementius in litterarum studium invehi Cynici soliti sint, Tabulae auctorem, qui tantum absit ut eruditionem reiciat, ut contra a falsa Eruditione quod quisque velit accipi iubeat tanquam viaticum[3]), malim existimare Stoicorum sectae addictum fuisse.

---

[1]) Item incertae aetatis est quod Pythagorae tribuitur exc. ex ms. fl. Jo. Dam. p. 202 Mein.

[2]) fragm. 54 p. 111 Schweigh.; diss. IV 5,7. Cf. Stob. 80, 14: *Ἀῤῥιανοῦ Ἐπικτήτου πρὸς τὸν περὶ οὐσίας . . Τί μοι μέλει, φησί, πότερον ἐξ ἀτόμων ἢ ἐξ ἀμερῶν ἢ ἐκ πυρὸς καὶ γῆς συνέστηκε τὰ ὄντα.* Quod si quaeris, quare ea aetate artes liberales minore dignitate coeptae sint haberi, nescio an cum alia tum hoc alicuius fuerit momenti, quod e Posidonii temporibus in ipsa philosophia illis disciplinis locus tribuebatur; cf. Senec. ep. 88, 21, 24; Zeller III 1 p. 577, adn. 3. Tum enim consentaneum erat existere, qui quantum philosophia moralis illis disciplinis praeferenda esset, monerent quique adhortarentur, ne illis rebus studentes verae philosophiae nos operam dare opinaremur.

[3]) Comparatio eruditionis et viatici Cebetis propria non est. Cf. Stob. 3,73, ubi hoc tribuitur Socrati: *ὁ φρόνιμος ὥσπερ εἰς ὁδὸν εἰς τὸν βίον οὐ τὰ πολλοῦ ἄξια συντίθησιν ἐφόδια ἀλλὰ τὰ ἀναγκαιότερα.* Bias apud Diog. L. I 88: *ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος*

2. De virtutibus et vitiis.

a. De causis vitiositatis.

Omnis miseriae humanae causa est venenum illud, quod *Ἀπάτη* iis, qui in vitam introeunt, praebet bibendum (5,2). Hoc enim hausto fit ut ea, quae non bona sunt, bona existiment et ea, quae mala non sunt, mala (25,2); quo errore per totam vitam homines sollicitantur et affliguntur (40,1).

Haud abs re videtur in *ἀπάτης* notionem, quae sit in Tabula, paulo diligentius inquirere. Atque *ἀπάτη* non fraus est per alium quemquam effecta, sed error ex ipsius hominis animo tanquam divino numine auctore coortus hominique innatus[1]), ita ut vocabulum quod est *ἀπάτη* haud longe diversa significatione adhibeatur atque *ἄγνοια* vel *πλάνος*. Hic autem usus apud recentiores scriptores est frequentissimus, cum apud eos qui fuerunt ante Chr. n. nullum mihi contigerit ut invenirem exemplum[2]).

Venenum, quo homines imbuuntur, designatur vocabulis *πλάνος* et *ἄγνοια* (5,3; 6,3; 19,5). Vocabulum quod est *πλάνος* Drosihnus p. 38 recte monet quinque iis locis,

---

εἰς γῆρας ἀναλάμβανε σοφίαν. Aristoteles apud eundem V 21: *κάλλιστον ἐφόδιον τῷ γήρᾳ τὴν παιδείαν ἔλεγε.* Demon. fr. 77, Mull. II p. 352: *τίνα δὲ καὶ ἐφόδια ἔχων . . . ἐκ παιδιᾶς εἰς φιλοσοφίαν ἥκεις.* Ex. ms. flor. Jo. Damas. Mein. Stob. IV p. 203: *Πιττακὸς συνεβούλευε πρὸς τὸ γῆρας ἐφόδια παρατίθεσθαι παιδείαν*; ibid. p. 226: *Ἀρίστιππος παρεκελεύετο τοῖς νέοις τοιαῦτα ἐφόδια κτᾶσθαι, ἅτινα αὐτοῖς καὶ ναυαγήσασι συνεκκολυμβήσει.*

[1]) Cf. Schmidt Ethik d. alt. Gr. I 250 sq. Quod de pictura Apellis exponit Schmidtius, idem de Fraude, quae est in Tabula, valere mihi videtur.

[2]) Ex recentiorum operibus haec congessi: Dio Chrys. de regn. 4 p. 80 Dind.; or. 31, p. 356; or. 68, p. 232; or. 70, p. 240; Luc. Char. p. 219 Jac.; Plut. quom. adul. poët. aud. deb. 17 b; quom. adulat. ab. amic. intern. 49 b; Plut. Stoic. rep. 47; de comm. not. 25,5; Stoic. ecl. eth. 183.

quibus invenitur, metaphorice esse adhibitum. Proprie enim haec vox significat non errorem animo inhaerentem, quo singuli errores efficiuntur („subjektiver Irrthum"), sed eum errorem, quem nos lingua vernacula dicimus die Irrfahrt, das Umherirren („objektiver Irrthum"), quemque Latini vocabulo rarius adhibito nominabant errationem. Illam autem vim in Tabula vocabulo *πλάνος* subesse, ea quoque re ostenditur, quod cum illo *ἄγνοια* coniungitur 5,3; 6,3; 19,5. Accedit quod propter *πλάνον* homines dicuntur errare 25,2 et quod *πλάνον* bibere finguntur; consentaneum enim est eos non ipsam errationem bibere, sed errorem, quo oritur erratio. Adde quod *πλάνος* bestia dicitur homini nocens (23,1), id quod ad errorem, non ad errationem convenit. Hac vero significatione cum forma *πλάνη* apud Platonem inveniatur adhibita (Phaedo 81a, rep. VI 505c; X 602c), masculinum *πλάνος* non obvenit nisi in Oenomai fragmento Mull. II p. 379.

Aliud etiam est, quo homines priusquam ad virtutes perveniant, liberari oportet, opiniones. Diversae de vocabuli *δόξαι* in Tabula usu a viris doctis prolatae sunt sententiae. Meinersius (comm. soc. Gott. 1782) ea re vult evinci a Stoico quodam philosopho hunc libellum compositum esse, quod vocabulo *δόξαι* falsae quaevis opiniones designentur; *δόξας* enim sive falsas opiniones a Zenonis familia omnium vitiorum matres habitas esse; quam significationem huic vocabulo neque apud Platonem neque apud alium quemquam Socraticum subesse. At contra Jerramius contendit de opinione et scientia Pinacis auctorem plane convenire cum Socrate (praef. p. XXXIV). Platonicam hac de re doctrinam Cebeti placuisse censuit Casaubonus, qui haec de Cebetis opinionibus: „Ex mente Platonis optime, cui omnis *δόξα* quamvis alioquin optima et verissima, donec ad *ἐπιστήμην* perducatur, res levis

et momentanea". Quorum nemini assentior. Meinersius enim eos locos neglexit, quibus Opiniones ad salutem ducentes commemorantur (6,2; 11,1) hilaresque et ridentes eae Opiniones praedicantur, quae ad veram eruditionem homines perduxerunt (29,1). Quibus locis clare ostenditur non utique falsas opiniones a Cebete esse existimatas. Jerramio deinde respondeo, num ipse Socrates opinionem et scientiam distinxerit, haudquaquam pro explorato esse habendum. Inter Platonem autem et Tabulae auctorem hoc interest, quod ille nusquam contendit ab opinionibus et rectis et falsis sapientem debere liberum esse, cum utrumque genus opinionum impedimento sit ne ad veram eruditionem accedamus. Hanc autem Cebetis esse sententiam hi loci declarant: 14,3: *οὐ μὴ ἀπέλθῃ ἀπ' αὐτῶν οὔθ' ἡ δόξα οὔθ' ἡ λοιπὴ κακία* ... 4: *ὅταν καθαρθῶσι καὶ ἐκβάλωσι τὰ κακὰ πάνθ' ὅσ' ἂν ἔχωσι, καὶ τὰς δόξας καὶ τὴν ἄγνοιαν καὶ τὴν λοιπὴν κακίαν πᾶσαν, τότε ἂν οὕτω σωθήσονται.* 14,3 quaerenti, num in falsae eruditionis saeptum Opiniones introeant, senex respondet: *Ναί· μένει γὰρ καὶ ἐν τούτοις τὸ πόμα, ὃ ἔπιον παρὰ τῆς Ἀπάτης.* Error igitur et ignorantia (cf. 5,3) fons sunt et origo opinionum. 35,4: *εἶτα τὸ ἕτερον οὐχ ὁρᾷς, ὅτι καὶ αἱ Δόξαι ἐκ τοῦ πρώτου περιβόλου εἰσπορεύονται πρὸς αὐτοὺς ὁμοίως; Ὥστε οὐδὲν οὗτοι ἐκείνων βελτίους εἰσίν* ... Ad veram eruditionem Opiniones quaedam illae quidem perducunt, sed ad virtutes intrare iis non licet; neque enim fas est ad Scientiam accedere Opinionem; 29,3. Haec igitur, ut omnia iam comprehendam, de opinionibus docet Cebes: et veras opiniones esse et falsas, et salutares et perniciosas (6,2). Sed malae utraeque sunt, quod donec opinionibus eris obstrictus, scientiam non consequeris; neque enim opiniones et scientia una esse possunt; sapiens igitur, qui scien-

tiam tenet, opinionibus liber est. Haec autem eadem statuebant Stoici, qui cum ne ipsi quidem negarent veras opiniones esse[1]), tamen sapientem de omnibus rebus volebant scire, de nulla opinari, opinionibusque omnino carere. Cf. Diog. Laert. VII 162: *στωικῷ δόγματι τῷ τὸν σοφὸν ἀδόξαστον εἶναι.* Stob. ecl. eth. p. 64 Mein: *ψεῦδος δ' ὑπολαμβάνειν οὐδέποτέ φασι τὸν σοφὸν οὐδὲ τὸ παράπαν ἀκαταλήπτῳ τινὶ συγκατατίθεσθαι διὰ τὸ μηδὲ δοξάζειν αὐτὸν μηδ' ἀγνοεῖν μηδέν . . . . . μηδὲ δοξάζειν τὸν σοφόν.* Plut. Stoic. poët. absurdiora dic. 4,1. Dixerit quispiam ad idem de opinionibus iudicium ea perducere, quae Plato de discrepantia *δόξης* et *ἐπιστήμης* disputavit[2]). Concedo Platonem, si imaginem expressisset sapientis omnibus numeris absoluti, ipsum quoque *ἀδόξαστον* eum depicturum fuisse. Sed Stoicorum erat, non Platonis, sapientis exemplar proponere perfecti et omnibus in rebus ne dis quidem inferioris. Itaque quod illi in sapiente requirebant, ut *ἀδόξαστος* esset, id a Platone alienum est[3]).

Restat, ut de tertio illo salutis impedimento pauca dicam, quo ii, qui litteris imbuti sunt, ne ad veram eruditionem accedant deterrentur. Cum enim ea se scire opinentur, quae re vera nesciunt, fit ut ceteris sint pertinaciores et graventur vera disciplina imbui (35,3). De hac re brevis esse possum. Sufficit enim verbo monere Socratem, Platonem et Xenophontem si sequimur, id po-

---

[1]) Cf. Senec. ep. 94, 33.

[2]) Cf. quae p. 65 de Casauboni sententia attulimus.

[3]) Vocabulum *ἀδόξαστος* illud quidem apud Platonem (Phaedo 84 b) invenitur, sed longe diversa significatione: *ἀδόξαστον* enim illic id est, de quo opinari non licet, sive id, quod supra opinionem positum est.

tissimum propositum habuisse, ut ostenderet homines vana opinione obstrictos earum rerum plerumque putare se scientiam assecutos esse, de quibus ignorarent (Xen. comm. 3, 9, 6; Plat. apol. 21 d; 29 a sq., 33 c; Lys. 218 b; Alcib. 117 d). Ex hac inter Socratem et Cebetem consensione ne quid de Tabulae origine colligendum esse existimes, recentiorum locos quosdam transcribo, quibus illud Socratis minime proprium fuisse efficiatur. Apud Dionem Chrysostomum or. 11 p. 178 Dind. haec legimus: *ἀμαθέστατοι ὄντες πολυμαθεστάτους ἑαυτοὺς νομίζουσιν . . . τούτου δὲ μηδὲν εἶναι νόσημα χαλεπώτερον μήτε ἑνὶ μήτε πολλοῖς, ἢ ὅταν τις ἀμαθὴς ὢν σοφώτατον ἑαυτὸν νομίζῃ· τοὺς γὰρ τοιούτους τῶν ἀνθρώπων μηδέποτε δύνασθαι τῆς ἀγνοίας ἀπολυθῆναι* (Cf. Tab. 35,2: *ἀκινητότεροι ἢ δυσμαθέστεροί εἰσι*; 35,3: .. *ἀκινήτους αὐτοὺς ἀνάγκη εἶναι πρὸς τὸ ὁρμᾶν πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδείαν*). Id. or. 10 p. 166 Dind: *ὅσοι γὰρ ἂν ἀμαθεῖς ὄντες πεισθῶσι σοφοὶ εἶναι, οὗτοι πολύ εἰσιν ἀθλιώτεροι τῶν ἄλλων ἁπάντων.* Eodem pertinent ea, quibus Seneca castigat homines liberalium artium nimis studiosos (ep. 88, 37): Quid? quod ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit et ideo non discentes necessaria, quia supervacanea didicerunt.

b. De vitiis.

Primum dicendum est de Insipientia [1]), quae aenigmate illo, quod hominibus proponit (3, 2), iis, qui id non

---

[1]) *ἀφροσύνη* quamquam etiam in causis vitiositatis numerari poterat, tamen hic mihi videtur commemoranda esse, quod ubique in vitiorum enumeratione eius fit mentio et *ἀφροσύνη* ex quattuor illis virtutibus ei, quae *φρόνησις* nominatur, solet opponi.

intellegunt, causa est perniciei. Aenigma autem illud est de rebus bonis, malis, mediis. De his ubi primum recte iudicare coeperis, *Ἀφροσύνη* peribit (3, 4). Jam manifesto deprehendis Stoicum. Cum enim neque apud Socratem neque apud Platonem *ἀφροσύνη* intellegatur inscitia bonorum et malorum, Stoici, quos maximi facere eum locum, qui est de bonis et malis, supra vidimus (p. 37), ut *φρόνησιν* esse volebant *ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων* [1]), sic *ἀφροσύνην*, Diog. Laert. VII 93 si fidem habemus, definiebant *ἄγνοιαν ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων*.

Praeter *ἀφροσύνην* vitia animique perturbationes in Tabula commemorantur haec: *ἀκρασία* (9,1; 14,1; 19,5; 23,1; 24,2; 26,2; 28,1; 28,3; 32,3; 34,2); *ἀλαζονεία* (19,5; 24,2); *ἀθυμία* (10,2; 27,4); *ἀσωτία* (9,1; 28,3); *ἀπληστία* (9,1); *ἐπιθυμία* (19,5); *ἡδυπάθεια* (28,1, 32,3); *θυμός* (19,5); *κενοδοξία* (24,2); *λύπη* (10,2; 23,1; 26,2; 27,4); *ὀδύνη* (10,2; 26,2; 27,4); *ὀδυρμός* (10,2; 23,1); *ὑπερηφάνεια* (23,1); *φιλαργυρία* (19,5; 23,1; 24,2; 26,2).[2])

Quod supra p. 25 diximus ea, quae de rebus ad mores pertinentibus auctor Tabulae protulit, latius patere neque ex certa quadam schola primo obtutu videri fluxisse, id cum aliis rebus tum hac vitiorum et perturbationum enumeratione licet cognoscere. Neque enim usquam certus quidam orbis vitiorum affectionumque — velut Stoici praecipua vitia esse voluerunt *ἀφροσύνην, δειλίαν, ἀδικίαν, ἀκολασίαν* cf. Diog. Laert. VII 93, affectiones praecipuas *λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν* cf. Diog. Laert.

---

[1]) cf. infr. p. 77.

[2]) Quod iis vitiis, quae sunt *ἀκρασία, ἀσωτία, ἀπληστία*, 9,1 adiungitur *κολακεία*, non ipsa vitium haec est, sed instrumentum, quo vitia illa utuntur ad decipiendum hominem. Eodem modo 18,2 Eruditioni et Veritati additur Persuasio.

VII 111 — commemoratur, sed convenienter ad auctoris rationem a doctrina et accurate exstructa disciplina abhorrentem quae tum philosophis plerumque in ore erant vitiorum et perturbationum nomina nullo certo ordine servato congeruntur variumque in modum varie inter se coniunguntur. Quid? quod 26,2 affectibus, qui sunt luctus, maeror, intemperantia, avaritia, adiungitur paupertas et 27,4 simili perturbationum enumerationi inseritur mala fama. Id quod eo magis mireris, quia toto libello paupertatem vetamur in malis ducere, priore autem illo loco Cebes dicit eum, qui ad virtutem, pervenerit, non turbari *οὔτε ὑπὸ ὀδύνης οὔτε ὑπὸ λύπης οὔτε ὑπὸ ἀκρασίας οὔτε ὑπὸ φιλαργυρίας οὔτε ὑπὸ πενίας οὔτε ὑπ' ἄλλου κακοῦ οὐδενός*. Similiter 27,4, ubi eos, qui non perseverarunt ascendere ad virtutem, dicuntur comitari *λῦπαι καὶ ὀδύναι καὶ ἀθυμίαι καὶ ἀδοξίαι καὶ ἄγνοιαι*, monenti hospiti: *πάντα κακὰ λέγεις αὐτοῖς ἀκολουθεῖν*, ipsis verbis senex concedit omnia mala eos sequi. Quam offensionem aliqua ex parte ita tolli existimaveris, ut dicas paupertatem et malam famam mala esse eis, qui vera eruditione nondum sint imbuti, neque mala esse desinere nisi eis, qui recte de his rebus docti eas contemnere consueverint. Attamen in eo offendo, quod iis, quae etiam sapientis sententia mala sunt quaeque in sapientem cadere non possunt, singulae hae res inseruntur, quae mala nisi ab indoctis non putantur quaeque etiam sapienti possunt obtingere. Facile commoveare, ut utrumque vocabulum interpolatori attribuas. Equidem cum librorum omnium consensu defendantur, malim auctoris neglegentiae ea relinquere de accurata disciplina non curantis.

Tamen, si paulo diligentius inquisiverimus, non deesse mihi videntur, quae documento sint Stoicis Tabulae auc-

torem favisse. Quod enim in animi perturbationibus primum locum tenet *ἀκρασία* (9,1 prima commemoratur, 14,1 sola; 28,1 et 32,3 *ἀκρασία* et *ἡδυπάθεια*, 28,3 *ἀκρασία* et *ἀσωτία*)[1]), nescio an inde explicandum sit, quod Stoici omnium affectionum fontem esse volebant intemperantiam (Cic. Tusc. IV 9,22). Deinde duo vocabula in illo, quem supra composui, indice nominum ad mores pertinentium obveniunt a Platone et a Xenophonte aliena: *φιλαργυρία* et *κενοδοξία*. Quorum prius illud in Stoicae scholae supellectile fuisse et a Chrysippo definitionem ei admotam esse testis est Diogenes Laertius VII 111. Sed in huius vocabuli usu, cum adiectivum quod est *φιλάργυρος* et apud Xenophontem et apud Platonem occurrat casuque fieri possit, ut substantivum apud neutrum inveniatur, minus nitar quam in illo *κενοδοξία*, quod cum nisi apud Polybium et Plutarchum non obveniat, recentioris huius libelli originis luculentissimum est documentum.

Quod maeror 23,2 in vitiis numeratur (*τὴν λύπην καὶ τὸν ὀδυρμὸν καὶ τὴν ὑπερηφάνειαν . . καὶ τὴν λοιπὴν ἅπασαν κακίαν*), Stoici omnes affectus vitiosos putasse tradit Plutarchus virt. mor. 10 p. 449: *πᾶν μὲν γὰρ πάθος ἁμαρτία κατ' αὐτούς ἐστιν.*[2])

Jam, quae de voluptate et de cupiditate Cebetis sit sententia, videamus. Atque 6,2 Voluptates cum Opinioni-

[1]) E Xenophontis scriptis vocabulum quod est *ἀκρασία* plane eiciendum esse censuit Dindorfius in edit. Xen. comm. maiore p. XII. Ad Platonem quod attinet, libri mss. non consentiunt.

[2]) cf. Diog. Laert. VII 118: *οὐδὲ μὴν λυπηθήσεσθαι τὸν σοφόν.* Cic. Tusc. IV 7,14: quam vitiosae sint perturbationes. Vocabula quae sunt *λῦπαι* et *ὀδύναι* quod coniungit Cebes, moneo Stoicos *ὀδύνην* genus *λύπης* esse voluisse; Diog. Laert. VII 111. Quamquam ne Platoni quidem haec coniunctio aliena est. Cf. Phil. 42d: *λῦπαι καὶ ἀλγηδόνες καὶ ὀδύναι.*

bus et Cupiditatibus finguntur homines amplexae et deducentes *αἱ μὲν εἰς τὸ σώζεσθαι, αἱ δὲ εἰς τὸ ἀπόλλυσθαι.* Statuuntur igitur voluptates nonnullae salutis, non perniciei efficaces itaque non in malis numerandae. Id quod cum eo non pugnat, quod a Stoico philosopho Tabulam compositam esse suspicamur. Neque enim inter se consentiebant Stoici, essetne utique malum voluptas, cumque multi plane eam censerent reiciendam esse, alii et bonas et malas voluptates esse volebant.[1]) Panaetium quidem Sext. Empir. adv. math. XI 73 tradit statuisse *τινὰ μὲν ἡδονὴν κατὰ φύσιν ὑπάρχειν, τινὰ δὲ παρὰ φύσιν.*[2]) Cupiditatum[3]) a Stoicis alteras bonas, alteras malas habitas esse nusquam invenio. Immo cupiditates quam maxime fugiendas esse Stoicorum sententia omnes, qui de illorum placitis exposuerunt, testes sunt. Tamen nescio an ad auctoris genus scribendi ab accurata doctrina abhorrens conveniat, ut Zellerus distinxit voluptatem latiore significatione accipiendam ab ea voluptate, quae in affectibus numeratur, sic hoc loco statuere cupiditatem non affectionem animi vitiosam intellegendam esse, sed latius patere et idem fere significare quod „studium".

---

[1]) Si recte Wellmannius l. l. 449 sq. statuit acriorem illam sententiam iis Stoicis placuisse, qui quam maxime pugnare studebant cum Epicuri schola etiamtum efflorescente, imminutis autem inimicitiis posteriores fuisse leniores, novum deprehendimus indicium, ex quo recentiore aetate Tabulam conscriptam esse liceat suspicari.

[2]) Accuratius si inspexeris, Panaetii sententiam ab antiquioribus Stoicis non discrepare his dicit Zellerus (III 1 p. 505 n. 4): „nur wenn man unter der Lust im engeren Sinne den Affect der *ἡδονή* versteht, ist sie, wie jeder Affekt, naturwidrig".

[3]) Quo loco iterum occurrit illud *ἐπιθυμία* non in malam partem accipiendum, eo recte a Drosihno deletum esse mihi videtur (11,1); sequitur enim singulari numero *τὴν ἄγουσαν*, quod et ad illud *δόξαν* et ad illud *ἐπιθυμίαν* referri nullo pacto potest.

Tum enim et de salutaribus et de perniciosis cupiditatibus vel a Stoico dici posse nemo est quin videat.

Ex adiectivis ad mores pertinentibus unum commemoratione dignum esse mihi videtur, *ἀπροβούλευτος* (8,1), quod alias nusquam ita adhibitum inveniatur, ut significet „imprudens“, „incautus“; cf. infra part. IV. Actiones ex vitiis et perturbationibus animi fluentes his verbis designantur (9,4): *ἀποστερεῖν, ἱεροσυλεῖν, ἐπιορκεῖν, προδιδόναι, λῃζεσθαι* (40,3), *ἀνδροφονεῖν, συκοφαντεῖν* (41,2), *ἀδικεῖν, ἀφρονεῖν.* Ex his a Platone et Xenophonte aliena sunt *ἀνδροφονεῖν*[1]), *ἀφρονεῖν.* Admonent enumerationes illae pravarum actionum de Stoicis; cf. Cic. fin. III 9,32: patriam prodere, parentes violare, fana depeculari; Plut. de Stoic. rep. 34,9: *μοιχεῖαι, κλοπαί, προδοσίαι, ἀνδροφονίαι, πατροκτονεῖν.*

c. De correctione.

Correctio animi, quae efficitur vera eruditione, cum sanatione corporis comparatur 19,2. Eodem pertinet quod qui servatus est ad virtutesque pervenit, ab omnibus pari studio recipitur atque medicum recipiunt aegroti 26,1. Hac comparatione frequentissime utebantur Stoici et Cynici. Plato[2]) ille quidem condicionem animi vitiis effectam morbum dicit, sed comparatio philosophi et medici animique vitiositate liberandi et corporis sanandi apud illum non invenitur. Stoici deinde et Cynici Platonis illam imaginem amplexi et amplificantes morbos et imbecillitates animi (*νόσους* et *ἀῤῥωστήματα*) distinxerunt philosophumque excolendis animis et purgandis vacantem simili munere

---

[1]) *ἀνδροφόνος* exstat apud Platonem, *ἀνδροφονεῖν* apud recentiores.

[2]) cf. Zeller II 1 p. 742 et ex locis ibi allatis rep. IV p. 444 c sq., X 609 c, Tim. 87 d, Legg. X 906 c.

atque medicum fungi sescenties monuerunt. Quam imaginem Zellerus animadvertit eos potissimum adamasse, qui inde a primo a. Chr. n. saeculo in morali philosophiae parte illustranda operam posuerunt.[1])

Altiorem etiam cum his philosophis consensionem cognosces, ubi diligentius paulo in ea inquisiveris, quae 19,1 exponuntur de ratione a vera Eruditione in purgandis hominum animis adhibita. Ut enim medicus primum morbi causas amovet, deinde in bonam valetudinem corpora restituit, sic disciplina primum error, vitiorum causa, quaeque ex illo fluxerunt vitia removentur, deinde ad virtutes animi perducuntur. Bipartita igitur, ut corporis sanatio, sic animi correctio esse perhibetur: primum vitiorum causas tollendas, deinde virtutem efficiendam esse (cf. 19,2: *πρότερον* — *εἶτα*; 19,4: *ὅπως ἐκκαθάρῃ πρῶτον*...). Cum his confer Philonis Larissaei fragmentum, quod exhibet Mullachius II p. 55: *ὥς γὰρ ἰατροῦ ...τὸ προσάγειν ἐστὶ τὰ μὲν θεραπευτικά, τὰ μὲν τῷ προεκκομίσαι τὰ νοσοποιὰ τῶν αἰτιῶν, τὰ δὲ τῷ τὰ παρασκευαστικὰ τῆς ὑγιείας ἐνθεῖναι, οὕτως αὖ κἀπὶ τῆς ἐπιστήμης ἔχει ... τὸ μὲν γὰρ ὑπεξαιρετικὸν τῶν ψευδῶς*

---

[1]) Cf. Zeller II 1, p. 285, III 655; 524, 1; 644, 3. Illa morborum et imbecillitatum animi distinctio Wellmannius (l. l. p. 455) dubitat an ipsi Zenoni tribuenda sit. Comparatio philosophi et medici apud recentiores magis magisque increbuit. Praeter locos a Zellero allatos hi mihi obvenerunt: Epict. diss. III 23, 30; idem apud Stob. 4,94; Muson. app. ex cod. Flor. Jo. Damasc. in Mein. edit. Stob. IV p. 223. Senec. ep. 123; de const. sap. 13; de ira II 10; Plut. d. coh. ira 2, p. 453; Dio. Chrys. or. 23 p. 308 Dind.; ibid. or. 27 p 529; or. 33 p. 2. Diog. ep. 28 p. 243 Herch. De prioribus cf. Diog. Laert. II 70, VI 4, VI 6. Longe diversus is locus est, ad quem provocavit Feurlinus p. 52, Xen. comm. 1, 3, 13, ubi de singulari quodam animi vulnere, non de vitiositate tanquam animi morbo agitur.

γεγενημένων δοξῶν, δι' ἃς τὰ κριτήρια νοσοποιεῖται[1]) *τῆς ψυχῆς, τὸ δὲ τῶν ὑγιῶς ἐχουσῶν ἐνθετικόν*: iam quanta haec similitudine coniungantur, non opus erit pluribus demonstrare. Philo autem nescio an Stoicorum doctrinam hac in re secutus sit, quippe quem aliis in rebus ad mores pertinentibus ad illos prope accessisse constet. Certe similia Stoicos docuisse ex Senecae epistula 94 apparet, ubi de controversia illa agitur, quam ei, qui nolebant hominibus errore liberatis praecipi de vita recte instituenda, cum iis habebant, qui talia praecepta necessaria existimabant. In illorum numero qui fuerat Aristo hanc in sententiam disputaverat (5): Nihil... proficient praecepta, quamdiu menti error obfusus est... Idem tibi de omnibus vitiis dico: ipsa removenda sunt, non praecipiendum, quod fieri illis manentibus non potest. ... Nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris, nec avarus, quomodo utendum pecunia sit, exaudiet, nec timidus, quomodo pericula contemnat. Quibus ipse Seneca respondet: Etiam remotis vitiis, quid et quemadmodum debeamus facere, discendum est. In his facile agnosces bipartitam illam corrigendi rationem, qua primum falsa et perversa tolluntur, deinde vera et recta efficiuntur.

Haec animorum purgatio ut fiat, et iis, qui vitiis et voluptatibus dediti sunt, et falsae Eruditionis sectatoribus opus est paenitentia (35,4 *μεταμέλεια*; 10,4; 11,1 *μετάνοια*)[2]). Haec in Tabula non est perturbatio animi ob singulas quasdam malas actiones oborta, sed totius

---

[1]) Etiam in verbo *νοσοποιεῖν* et Cebes et Philo conveniunt; cf. Tab. 19,2: *ἐξέβαλε τὰ νοσοποιοῦντα*. De hoc verbo v. infra part. IV.

[2]) Vocabulum quod est *μετάνοια* a Platone et a Xenophonte alienum est (epistula enim Xenophontis quae fertur prima genuina non est); *μεταμέλεια* apud utrumque occurrit.

animi quasi mutatio, qua mala exstinguuntur (11,1 *ἐξαιρεῖ αὐτὸν ἐκ τῶν κακῶν*). Frustra adhuc apud veteres philosophos quaesivi locos, quibus paenitentia eodem atque in Tabula numero haberetur[1]). Tamen, vocabulum si missum facis, sententia eadem apud Stoicos obvenire mihi videtur, qui sescenties monuerunt tam depravatam esse hominum naturam, ut vitia omnibus penitus essent infixa transfigurationeque opus esset, si quis ad virtutem et beatitudinem vellet pervenire. Hanc paenitentiam Seneca videtur significasse, cum scriberet ep. 6,1: Intellego, Lucili, me non emendari tantum, sed transfigurari... Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt (cf. Tabul. 35,4: *καὶ πεισθῶσιν*...).

d. De virtutibus.

Virtutes 20,3 enumerantur hae: *Ἐπιστήμη, ἀνδρεία, δικαιοσύνη, καλοκἀγαθία, σωφροσύνη, εὐταξία, ἐλευθερία, ἐγκράτεια, πραότης*. Mireris, quod ex quattuor illis principalibus virtutibus *φρόνησις* omissa est eaque virtus, quam primo loco ponere et praecipuo honore existimare solebant[2]), toto libello non commemoratur. (Verbum, quod est *φρονεῖν* occurrit 41,3). Cleanthem illum quidem Plutarchus de Stoic. rep. 7,4 tradit *φρόνησιν* in virtutibus non numerasse eiusque loco posuisse *ἐγκράτειαν*. Sed cum Cleanthes ut ita statueret, ea re perductus sit,

---

[1]) A Stoicis paenitentia in affectibus ducebatur, cf. Plut. de v. mor. c. 12 et Didymi fr. Mull. II, p. 80, ubi paenitentia dicitur *κακοδαιμονικόν τι πάθος ψυχῆς καὶ στασιῶδες*. Salutarem illam, de qua in Tabula agitur, paenitentiam commemoratam invenio Democr. fr. 102, Mull. p. 347: *μεταμελίη ἐπ' αἰσχροῖσι ἔργμασι βίου σωτηρίη*.

[2]) De Stoicorum doctrina quae erat de virtutibus Diog. Laert. VII 92, Plut. de v. mor. 2; de Stoic. rep. 7,1.

quod non *ἐπιστήμην*, sed *ἰσχὺν καὶ ϑάρσος* omnis virtutis quasi fundamentum esse arbitrabatur, non mihi persuadeo Tabulae auctori, qui maximi faciat scientiam[1]), eam virtutum partitionem placuisse, quae fluxit ex reiectione scientiae. Relinquitur, ut vocabulo, quod est *ἐπιστήμη*, eam hoc loco virtutem significari arbitremur, quae vulgo vocatur *φρόνησις*.

Ponemus igitur contrariam a Tabulae auctore factam esse permutationem, atque Zenoni imputarunt veteres[2]), cum dicerent eum *ὁριζόμενον τὴν φρόνησιν ἐν μὲν ἀπονεμητέοις δικαιοσύνην, ἐν δὲ αἱρετέοις σωφροσύνην, ἐν δὲ ὑπομενετέοις ἀνδρείαν* — *ἐπιστήμην φρονήσεως* nomine designavisse[3]). Simili permutatione usus est Plato, qui summum cognoscendi gradum sympos, 210 c, 211 c dicit *ἐπιστήμην*, quae vox apud eum alias significat secundum gradum. Ne is quidem refutari possit, qui dicat *φρόνησιν* hoc Tabulae loco omnino omissam neque quidquam ei substitutum esse (*ἐπιστήμη* enim tum quasi fundamentum omnium virtutum commemorata est). Nam *φρόνησιν*, quae *ἐπιστήμη κακῶν καὶ ἀγαθῶν καὶ οὐδετέρων* (Diog. VII 92) vel *ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν* (Plut. de comm. not. 16,2), intellegebatur, commemorare supervacaneum poterat videri, cum qui ceteris virtutibus satisfacit, etiam huic satisfaciat (cf. ceterarum virtutum definitiones, quae

---

[1]) Cf. supra p. 37.

[2]) Plut. virt. mor. 2.

[3]) Quid Stoici interesse voluerint inter *ἐπιστήμην* et *φρόνησιν*, ex eo loco cognoscere licet, qui est Galen. Hipp. et Plat. 7,2 p. 595: una est virtus, *ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν. Ὅταν μὲν οὖν αἱρεῖσθαί τε δέῃ τἀγαθὰ καὶ φεύγειν τὰ κακά, τὴν ἐπιστήμην τήνδε καλῶ σωφροσύνην, ὅταν δὲ πράττειν μὲν τἀγαθὰ μὴ πράττειν δὲ κακά, φρόνησιν· ἀνδρείαν δ᾽ ὅταν τὰ μὲν θαῤῥῇ, τὰ δὲ φεύγῃ· ὅταν δὲ τὸ κατ᾽ ἀξίαν ἑκάστῳ νέμῃ, δικαιοσύνην* sq.

inveniuntur locis p. 76 n. 2 allatis et Zelleri hist. phil. Gr. III 1 n. 4).

De fortitudine, iustitia, temperantia non est cur pluribus disputem. *Σωφροσύνη* et *ἐγκράτεια*[1]) iam a Xenophonte inter se coniunguntur Cyrup. 7,5, 26. Idem invenis apud posteriores, cf. Pseudo-Arist. apud Stob. 1, 18. Stoicorum sententia *ἐγκράτειαν σωφροσύνης* speciem esse eaque comprehendi testis est Stob. ecl. eth. 106. Eiusdem *σωφροσύνης* partem esse Stoici voluerunt *εὐταξίαν* (Stob. ecl. eth. 106). Hac in re Stoica disciplina auctorem Tabulae imbutum fuisse haud obscure perspicitur. Vocabulum enim quod est *εὐταξία* ad rem militarem vulgo pertinet oboedientiamque militis significat, vel, si latius patet, oboedientiam civis[2]) neque a Xenophonte adhibetur nisi hac notione[3]). Philosophorum supellectilis hoc vocabulum factum definitioque ei admota est a Stoicis[4]).

---

[1]) Neglegentia quadam Cebetis fit, ut binas partes in Tabula agat *Ἐγκράτεια*. Primum enim 16 iuvat homines ad veram Eruditionem ascendentes. Deinde 20,3 in ipsarum Virtutum numero apparet, ad quas pervenies, postquam veram Eruditionem praeterieris.

[2]) cf. Schmidt, Ethik d. alten Gr. I 314.

[3]) Apud Platonem hoc vocabulum non occurrit; definitiones enim et is dialogus, qui Alcibiades I. inscribitur, genuina non sunt.

[4]) Voluptates *εὐταξίᾳ* coërceri, ita ut *εὐταξία* eadem interpretanda sit atque *σωφροσύνη*, statuit Crates; cf. Jamblich. apud Stob. 5, 63. Stoicorum definitionem profert Cicero de off. I 40, 142: .. Haec autem scientia continetur ea, quam Graeci *εὐταξίαν* nominant: non hanc, quam interpretamur modestiam, quo in verbo modus inest: set illa est *εὐταξία*, in qua intellegitur ordinis conservatio. Itaque ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum. *Σωφροσύνῃ* adiungitur *εὐταξία* etiam ab Epicteto apud Stob. 5,92. Didymus (Mull. II p. 68) tradit Stoicorum sententia *ἀλυπίαν τε καὶ εὐταξίαν τὰς αὐτὰς εἶναι τῇ σωφροσύνῃ*. (Peripateticos ipsos quoque voluisse *εὐταξίαν* ad *σωφροσύνην* pertinere testis est Didymus Mull. II p. 99.)

Simile quid passum esse videtur vocabulum quod est *πρᾳότης*, quod apud Platonem et Xenophontem invenitur, sed nusquam ita adhibitum, ut *πρᾳότης* in virtutum choro commemoretur aut ut philosophiam moralem de ea quaerere appareat. In iis, quae ex Pseudo-Aristotele affert Stob. flor. I 18, eius partis animi, quae cum Platone *θυμοειδής* appellatur, duae dicuntur esse virtutes. *πρᾳότης* et *ἀνδρεία*[1]). Stoicos in sapiente clementiam requisivisse testis est Didymus (Mull. II p. 85, ubi *πρᾳότητος* definitio traditur).

Ex *ἐλευθερίας* et *καλοκἀγαθίας* commemoratione, cum utrumque vocabulum diversissimis temporibus sit adhibitum, nihil mihi videtur colligi posse[2]).

Jam videamus, quomodo sapiens ille, qui ad Virtutes et Beatitudinem ascendit, a Tabulae auctore depingatur. Atque id supra vidimus cum Stoicis convenire, quod ille, ubi eos revisit, qui male vivunt neque vitiis se exsolverunt (24,2; 25), pariter atque medicus ab omnibus cum gaudio excipitur (26,1). Qua in re hoc non neglegendum esse mihi videtur, quod ille, quocumque accedit, tutus est ab omnibus malis, neque periculum est ne quid ei accidat adversi ab iis, quae antea eum servitute oppresserunt (26,2 sq.). Haec descriptio plane congruit cum sapiente illo Stoicorum, qui, ubi primum sapientiam est assecutus, non modo liber est ab errore omni et vitio, sed ne recidere quidem potest in priorem miseriam[3]).

---

1) Cf. Aristot. ethic. Nicom. 1108a: *ἔστιν δὲ καὶ περὶ ὀργὴν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις καὶ μεσότης, σχεδὸν δὲ ἀνωνύμων ὄντων αὐτῶν τὸν μέσον πρᾶον λέγοντες τὴν μεσότητα πραότητα καλέσομεν.* Cf. ibid. 1125b; Ethic. Eud. 1231b; 1220b.

2) De illo cf. Platonis Phaed. 114e et Epict. Stob. 6,50; de hoc Fritzschii edit. ethic. Eudem. p. 256, 10—11 et Schmidtii ethic. I p. 329 sq.

3) Chrysippum illum quidem Diog. Laert. VII 127 tradit

Hanc de philosophorum sententiis in Tabula prolatis commentationem non absolverimus, nisi quae partes numini illi, quod *δαίμων* (4, 3) vel *δαιμόνιον* (30, 1; 31, 3, 5; 32, 5; 33, 2) vocatur, tributae sint, paucis exposuerimus. Atque hoc quidem perspicuum est, in Tabula non de genio agi, qui quasi patronus homini additus per omnem vitam eum prosequitur. Suus enim cuique singularis est genius, hoc unum est numen, cuius praecepta ad universos homines pertinent. Recte iam Drosihnus[1]) monuit *δαιμόνιον* in Tabula esse legem illam divinam penitus in animis humanis impressam („Gott im Busen") mentionemque fecit eorum locorum, qui sunt Epict. diss. I 14, ibid. 12; II 16, 28; Antonin. III 6, 12, 14. Hoc addere debebat, eam significationem apud Stoicos potissimum huic vocabulo subesse. Stoici enim cum id agerent, ut in rebus ad religionem pertinentibus quam proxime ad communes Graecorum notiones accederent et ex iis, quae de his rebus per saecula tradita et credita erant, quam plurima conservarent, ne eam quidem, quae de daemonibus erat, disciplinam plane convellere animum induxerunt, sed ita immutarunt, ut daemones non essent numina inter deos et homines media, sed daemon hominis nihil aliud esset quam ipse deus ut in omnibus rebus sic in animo humano apparens. *Δαίμων* igitur Stoicis est ratio humana, quae non diversa est ab universa

---

statuisse virtutem amitti posse. Sed quanto magis conveniat cum Stoicorum descriptione sapientis perfecti et absoluti, quod Cleanthes (Diog. VII 127) cum Cynicis consentiens censebat virtutem eripi nullo modo posse, non opus est pluribus demonstrare. Cf. Senec. ep. 50: semel traditi boni perpetua possessio est. Non dediscitur virtus. Didym. fr. Mull. II 78: *τὸ μὲν τῶν σπουδαίων διὰ παντὸς τοῦ βίου χρῆσθαι ταῖς ἀρεταῖς.*

[1]) cf. die Zeit d. *Πίν. Κέβ.* p. 11 n., qui tamen cum genio illo patrono illud numen confundit.

mundi ratione[1]), vel ut Wachsmuthii[2]) verbis utar: „Der göttliche Geist im Menschen vertritt die Stelle des Dämon“ [3]). Sic facillime explicari mihi videtur, quod *δαίμων* et *δαιμόνιον*, quod deum vulgo significat, inter se permutantur. Ratio enim animum humanum regens (*δαίμων*) eadem est atque illa, quae mundum gubernat (*δαιμόνιον*). A Stoicis deinde hic vocabuli, quod est *δαίμων*, usus ad alios recentioris aetatis philosophos, qui in morali philosophiae parte illustranda studia collocabant, videtur transisse. Haud alienum a proposito nostro est locos duos Dionis Chrysostomi commemorare. Or. 23 p. 307 Dind. *εὐδαίμων* is dicitur, cui bonus daemon obtigerit. Quo concesso existimaveris *κακοδαίμονα* eum esse, quocum malus daemon sit coniunctus. Sed haec conclusio reicitur, quia *δαιμόνιον* malum esse nullo pacto possit, 308 l. 10. Ubi animadvertis illam vocabulorum *δαίμων* et *δαιμόνιον*, numinis divini singularis hominis animo inhaerentis et dei totum mundum regentis, inter se permutationem. *Κακοδαίμων* deinde is esse perhibetur, qui *δαίμονι* utique bono non oboediat (308 l. 20 sq ; cf. Tab. 24,3, ubi miseri ii dicuntur, qui obliti sunt praecepti daemonis). Eadem atque in Tabula notio vocabulo, quod est *δαίμων*, subest apud Posidonium (Gal. Hippocr. et Plat. V 6, p. 469): *Τὸ δὴ τῶν παθῶν αἴτιον τουτέστι τῆς τε ἀνομολογίας καὶ τοῦ κακοδαίμονος βίου τὸ μὴ κατὰ πᾶν ἕπεσθαι τῷ ἐν αὐτῷ δαίμονι συγγενεῖ*

---

[1]) Zeller III 1 p. 297.

[2]) Die Ansichten der Stoiker über Mantik u. Dämonen p. 38. Haud alienum a nostra disquisitione videtur commemorare recentiores potissimum Stoicos qui fuerunt inde a Posidonii aetate sic de daemonibus docuisse.

[3]) Cf. Xenocratis frgm. apud Mull. III p. 115, qui animum dicit daemonem esse hominis.

τε ὄντι καὶ τὴν ὁμοίαν φύσιν ἔχοντι τῷ τὸν ὅλον κόσμον διοικοῦντι.

Haec habui, de philosophorum placitis in Tabula expositis quae dicerem. Atque, ut omnia iam comprehendam, de auctoris secta et aetate haec videntur statuenda esse: Sententiae de philosophia in Cebetis Tabula prolatae non conveniunt cum Socrate, sed cum Stoicis iisque recentioris aetatis philosophis, quorum opera in morali philosophiae parte versabatur. In iis autem, qui proximis ante Chr. n. et post saeculis fuerunt, auctorem numerandum esse, eo evincitur, quod id potissimum putat monendum esse, veram eruditionem non liberalium artium scientia, sed morum correctione contineri quodque moribus emendandis unice intentus abhorret ab accurate exstructa disciplina. Eodem pertinet, quod ad Platonem provocat Parmenidisque et Pythagorae rationem vivendi collaudat[1]. Conveniunt in eum, quae Cicero de fin. IV 28, 79, de off. II 35 de philosophandi et scribendi genere Panaetii exponit, qui aeque ac Posidonius doctam scribendi rationem a se reiecit quaeque libris illustravit, ad communem intellegentiam accommodavit.[2]

Quae omnia me adducunt, ut Zellero[3] adsentiar, cuius verba haec sunt: In dem Inhalt der Schrift lässt sich trotz der Farblosigkeit des Ganzen der Standpunkt einer späteren Zeit in der stoischen Moral und der Polemik gegen die falsche Bildung nicht verkennen. De Tabula valent quae Martha[4] dicit de toto illius aetatis genere philosophandi: La philosophie aspire à devenir populaire,

---

[1]) Recte Drosihnus p. 4 monet, si Socratici Cebetis Tabula esset existimanda, mirum prorsus futurum esse, quod Socratis nusquam fit mentio.

[2]) cf. Zelleri hist. phil. III 1, 503, 513 cum not. 4.

[3]) cf. ibid. II 1 p. 206 n. 2.

[4]) Les moralistes sous l'empire romain p. 237.

elle s'abaisse, elle se fait toute à tous et pour être comprise et acceptée elle puise ses idées non plus à la source élevée du dogme, mais dans le réservoir commun, qu'on appelle le bon sens public; elle se rapproche de plus en plus de la pratique et se contente de donner des prescriptions salutaires et incontestables qu'elle redige en maximes et qu'elle décore d'ornements littéraires. Postremum hoc vel maxime cadit in Tabulam. In paucis enim veterum philosophorum operibus tam manifestum deprehendis auctoris consilium non nova dogmata proferendi, sed ea, quae omnibus nota sunt, nova quadam et faceta ratione exprimendi. Hoc autem ad tertium locum disquisitionem transducit, qui est de allegoria Tabulae.

III. De allegoria Tabulae.

Boettigerus[1]) eam, quae Cebetis Tabula explicatur, allegoriam non ab auctore vult fictam et inventam esse, sed veram picturam multo simpliciorem ab illo ita descriptam esse, ut eam exornaret atque amplificaret. Quod quamquam eis, quae Boettigerus protulit, demonstrari aut ad veri similitudinem adduci nequit, id tamen sine ulla dubitatione licet asserere, Tabulam non ante compositam esse, quam similes allegorias artifices fingere consuerant. Itaque primum quaeremus, quanam aetate statuarii et pictores talia aere, marmore, coloribus expresserint allegoriisque usi sint ad illustrandas res humanas, deinde de librorum auctoribus videbimus, qui illos imitati eiusmodi opera vel ab ipsis excogitata vel ab artificibus confecta descripserunt. Qua in disquisitione id imprimis erit perscrutandum, num eae ipsae, quae in Tabula occurrunt,

[1]) Kleine Schriften archäol. u. antiquar. Inhalts II. 311.

prosopopoeiae alias quoque inveniantur ita exhibitae, ut Pinacis auctori aliorum inventa obversata esse liceat suspicari.

1. De artificum allegoriis.

E statuariorum operibus antiquissimum, quantum scimus, allegoriae exemplum est Lysippi *Καιρός*[1]). Occasionem Lysippus finxit fronte capillatam, posteriore capitis parte paene calvam, manibus tenentem trutinam et cultrum tonsorium, pedibus in globo stantem. Ecce illud mobilitatis signum sescenties postea Fortunae tributum (cf. Tab. c. 7). Eadem Alexandri Magni aetate fuit, qui ex pictoribus primus allegorica ratione usus est, Apelles[2]). Cuius in pictura Calumniae (Luc. de cal. non tem. cred. c. 5 p. 155 Jac.) obveniunt humana specie indutae *Διαβολή*, *Ἄγνοια* (cf. Tab. 27,4), *Ὑπόληψις*, *Ἐπιβουλή*, *Ἀπάτη*[3]) (cf. Tab. 5, saepius), *Φθόνος*, *Μετάνοια* (cf. Tab. 10,3), *Ἀλήθεια* (cf. Tab. 18,2), suae quaeque indolis ac naturae signis instructa, velut ipsa Calumnia iracun-

---

[1]) Quid intersit inter hanc Occasionis statuam et prioris aetatis prosopopoeias, quibus nomen allegoriae non debetur (velut Aristophontis, qui fuit paulo post bella Persarum, Credulitatem; Plin. 35, 138) Brunnius exponit (Geschichte der gr. Kunst I 366).

[2]) De hac Apellis et Lysippi consensione et de illius aetatis cogitandi et sentiendi ratione a prioribus temporibus diversa, qua artifices ut allegorias componerent adducti sunt, cf. Brunn. II 216 sq. Similis immutatio in deorum imaginibus apparet, de qua Brunnius: Man fing an, diese ... abgeschlossenen und abgerundeten Gestaltungen nach Begriffen oder den Attributen ihrer Macht zu zerspalten ... (Es) können solche Personificationen durch die Art, wie sie durch äussere Zeichen ihre Bedeutung zu erkennen geben sollen, die reflektirende Thätigkeit des Geistes als die Quelle ihrer Entstehung nicht verleugnen. De ratione inter Lysippi Occasionem et Apellis Calumniam intercedente cf. eundem II p. 215: (die Darstellung der Verleumdung) ist das malerische Seitenstück zu dem plastischen Kairos des Lysipp, eine vollständige Allegorie.

[3]) cf. supra p. 64. (Schmidt Ethik d. Gr. I p. 251.)

diam prae se fert et insaniam sinistra manu facem tenens, dextra crinibus trahens adulescentem; *Μετάνοια* veste atra induta est et dilacerata (cf. Tab. 10,1 *ῥάκη ἠμφιεσμέναι*). Idem Apelles Fortunam sedentem ideo se finxisse dixit, quod consistere non posset[1]). Quod etsi dubito an ille iocatus sit, tamen propterea non silentio praetereundum existimavi, quod inde cognoscimus, tum artifices coepisse de inconstantia Fortunae cogitare; qua re ea confirmantur, quae Schmidtius (Ethik. d. alt. Griech. I 53 sq.) exposuit de notione Fortunae apud Graecos Alexandri temporibus immutata. Quam enim Schmidtius dicit „die Göttin des Gelingens, gewissermassen die Repräsentantin des Segens von oben", eam solam ante Alexandri aetatem a statuariis et a pictoribus invenimus expressam. Ea erat *Τύχη* illa, quae Bupalo adscribitur, capite ferens polum manuque tenens cornu Amaltheae, quam artificibus Romanis in fingenda Fortuna obversatam esse Brunnius existimat (I p. 40 sq.); ea erat Bona Fortuna Praxitelis (Plin. 36,23), ea Xenophontis Tyche Plutum bracchiis ferens, eae erant Fortunae illae, quae quasi urbibus praesidentes multis locis colebantnr[2]). Quam vero consistere non posse Apelles dixit Fortunam quamque in Cebetis Tabula reperimus furentem et temere dona sua tribuentem iisque, quibus dedit, rursus eripientem, ea deorum iustitiae est illa quasi adversaria, quam Schmidtius (I p. 56) inde ab Alexandri temporibus in ore hominum fuisse ostendit[3]). Utriusque Fortunae signa commemorat

---

[1]) Stob. flor. 106,60.

[2]) de his cf. Müller Handbuch d. Archäol. d. Kunst p. 165.

[3]) Antiquissimum huius notionis Fortunae vestigium est Diogenis quod fertur dictum Stob. ecl. II 348: *Διογένης ἔφη ὁρᾶν τὴν Τύχην ἐνορῶσαν αὐτῷ καὶ λέγουσαν· τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα*, ubi *Τύχη* non est prosperi successus dea,

Plutarchus de fort. Rom. c. 4, p. 318, cum dicit Fortunam, cum Romam pervenisset, globo reiecto ubertatis cornu sumpsisse. Eodem pertinet is locus, qui est Dio. Chrys. or. 63, p. 205 Dind.: *ἔχει δὲ οὐ κακῶς οὐδὲ τὰ τῶν παλαιῶν αἰνίγματα περὶ αὐτῆς· οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ ξυροῦ ἔστησαν αὐτήν, οἱ δὲ ἐπὶ σφαίρας*[1]*, οἱ δὲ πηδάλιον ἔδωκαν κρατεῖν· οἱ δὲ τὰ κρείττω γράφοντες τὸ τῆς Ἀμαλθείας ἔδοσαν κέρας πλῆρες καὶ βρύον ταῖς ὥραις*[2]. Omnia ea signa, quibus in Tabula Fortunae indoles ac natura illustratur, invenis apud Pacuvium (rhet. ad Herenn. II 23; cf. Ribbeck tragic. Latin. rel. p. 104; die römische Trag. p. 521):

Fortunam insanam esse et caecam et brutam perhibent philosophi
Saxoque instare in globoso praedicant volubilei.
Insanam autem esse aiunt, quia atrox, incerta instabilisque sit,
Caecam ob eam rem esse iterant, quia nil cernat, quo sese adplicet,
Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Hunc locum Pacuvius, quamquam in ea fabula conscribenda Sophoclem imitatus esse videtur, quin de suo ad-

---

sed Sors varia et inconstans bonaque externa modo distribuens modo eripiens. His enim cum se immotum sciat Diogenes Fortunae se negat subditum esse.

[1]) Cf. Tab. 7,1. Cum Tab. 7, 2 et 31, 5 cf. Dio. or. 64 p. 214 Dind.: *εἶτα ἐν μέρει τούτων μὲν ἀφείλετο, ἄλλοις δὲ ἔδωκε.*

[2]) Gubernaculum illud Fortunae de eo loco admonet, qui est Aesch. Agam 664. *Τύχη δὲ ναυστολοῦσ᾽ ἐφέζετο, ὡς μήτ᾽ ἐν ὅρμῳ κύματος ζάλην ἔχειν, μήτ᾽ ἐξοκεῖλαι πρὸς κραταίλεων χθόνα.* Cf. Dio. Chr. or. 64 p. 207 Dind. *δοκοῦσιν οἱ τεχνῖται τῷ τρόπῳ τῆς κατασκευῆς τὴν δύναμιν αὐτῆς δεδηλωκέναι· πρῶτον μὲν γὰρ ἕστηκεν ἑτοίμη πρὸς τὰ ἔργα, εἶτα ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ πηδάλιον κατέχει καί, ὡς ἂν εἴποι τις, ναυτίλλεται.*

diderit, nullus dubito; neque enim ullum exstat indicium, quo Sophoclis aetate ita de Fortuna iudicatum esse colligatur. Accedit, quod ipse Pacuvius pingendi arti erat deditus eoque facilius poterat commoveri ut, quae in statua vel pictura quadam animadverterat, operi suo insereret.

Plinius hist. nat. II 7 auctor est Fortunam a plerisque caecam esse existimatam, vagam, inconstantem, incertam, variam, indignorum fautricem. Idem inconstantiae signum commemorat Apuleius met. VII 2: subiit me non de nihilo veteris priscaeque doctrinae viros finxisse ac pronuntiasse caecam et prorsus exoculatam esse Fortunam. Eodem pertinent Ammiani Marcellini loci 31,8,8: de te, Fortuna, ut inclementi querebatur et caeca; 25,5,8: his ita caeco quodam iudicio fortunae peractis[1]). De Fortunae insania cf. Dio. Chrysost. or. 65 p. 218, 13 Dind: *πλάσται καὶ γραφεῖς αὐτὴν λοιδοροῦσιν οἱ μὲν ὡς μαινομένην καὶ διαρρίπτουσαν γράφοντες, οἱ δὲ ἐπὶ σφαίρας βεβηκυῖαν ὡς οὐκ ἀσφαλῶς οὐδὲ ἀκινδύνως ἐρηρεισμένην.*

Sed hactenus de Fortuna. Ceterarum rerum in Tabula personis indutarum multitudo de ea pingendi arte me admonuit, quam in vasis recentioris aetatis artifices tragicorum prosopopoeias (Poll. onom. IV 141 sq.) imitati solebant exercere. Koerteius in dissertatione, quae inscribitur „Ueber Personificationen psycho-

[1]) Globi locum apud Ammianum Marcellinum obtinet volucris rota; 31, 1,1: Fortunae volucris rota adversa prosperis semper alternans; 26, 8, 13: quo quivis beatus versa rota Fortunae ante vesperum potest esse miserrimus. Idem signum apud Ausonium epigr. 12 Occasioni tribuitur. Ceterum etiam prospera illa Fortuna bonum successum ferens apud Ammianum Marcellinum commemoratur 22, 9, 1: velut mundanam cornucopiam Fortuna gestans propitia cuncta gloriosa deferebat et prospera.

logischer Affekte in der späteren Vasenmalerei" talium translationum exempla et ex scriptorum libris et ex artificum monumentis congessit[1]), de quibus ea, quae in Tabula quoque reperiuntur, paucis perstringam. *Ἀπάτη* in vasis Darei et Terei quae vocantur obvenit (Koert. p. 46 et 48), ubi pariter atque in Tabula interpretanda est fraus non per alium quemquam effecta, sed ipsius hominis perversitate oborta[2]). Praeterea *Εὐδαιμονία* in vasis occurrit et — si recte coniecit Helbigius — *Μετάνοια*. Cf. Koert. p. 80 et 88. Ceterarum, quibus Tabula abundat, translationum exempla aliunde non inveni allata. Neque attinet quaerere, quosnam Pinacis auctor, cum *δόξας*, *ἡδονάς*, *ἐπιθυμίας* humana specie indueret, imitari potuerit. Adeo enim Graeci inclinabant in quidquid offerebatur humana facie exornandum, ut auctor vel minima nova excogitandi facultate praeditus facile talia invenisse existimandus sit, etiamsi exempla, quae imitaretur, praesto non essent. Declarant allegoriae illae a Koerteio congestae, in quibus inveniuntur Dithyrambus, Comus, Comoedia, Tragoedia, Pax, aliae permultae; declarat Apotheosis illa Homeri ab Archelao

---

[1]) Cf. etiam Mueller Handb. d. Archäol. § 406.

[2]) Cf. p. 64. *Ἀπάτη* hic eadem est atque in Apellis pictura, ubi Koerteius vult fraudem (per alium effectam) significari. Mihi Schmidtius ethic. I p. 251 persuasit, etiam illic *ἀπάτην* errorem esse homini innatum vel divino quodam numine auctore obortum. Hanc notionem, qua *ἀπάτη* vocabulum non valde differt ab vocabulo quod est *ἄτη*, Koerteius vult iam tragicorum illi *ἀπάτῃ* a Polluce on. IV 141 commemoratae subfuisse. Quod dubito num satis firmis argumentis probari possit. Eo enim loco, quo quis hanc sententiam defendi existimaverit, Aesch. Pers. 93, appositum est illud *θεοῦ*. *Ἀπάτη* vocabulum per se solum hanc habuisse significationem quae probant exempla, ea omnia ex recentioribus scriptoribus afferuntur; tragicorum temporibus hunc usum invaluisse demonstrari nequit, cf. p. 64.

Tiberii temporibus composita, ubi personas induunt *οἰκουμένη, χρόνος, μῦθος, Ἰλιάς, Ὀδυσσεία*. Ea tamen in re nescio an imitatorem Cebes se praebuerit, quod Poenam finxit flagellum tenentem, Tristitiam caput genibus fulcientem, Maerorem capillos suos evellentem (10, 2); quem vero imitatus esset, non contigit mihi ut explorarem; unum commemoro, simile tristitiae signum apparere in Herculis statua a Lysippo facta.

Sed hactenus de singulis Tabulae personis. De universa compositione nullo negotio perspicies illam de Hercule in bivio fabulam auctori esse obversatam[1]). Sed hoc — artificum, non scriptorum si rationem habes — ad aetatem auctoris Pinacis investigandam nullam praebet ansam, cum rarissime artifices allegoriam illam repraesentarint neque ad nos pervenerit nisi unum certum exemplum, quod est in numismate quodam Hadriani[2]).

Plurimum vero id mihi ponderis habere videtur, quod is, qui tabulam illam composuit, non artificem se praebuit, sed philosophum neque per se ipsum — ut debet artificium — illius opus placet, sed propter sententiam, quae eo exprimitur. Haec autem ratio fingendi opera, quae nisi sententiam, quae iis quasi implicita latet, cogitatione adhibita explicaveris, recte non aestimantur, non invaluit ante Alexandri Magni aetatem[3]).

Haec igitur argumenta — ut summam iam faciam eorum, quae modo disputavi — ex artis Graecorum historia deprompta me adducunt, ut Tabulam confectam esse statuam non ante Alexandri tempora; cum allegoriae ante illam aetatem artificibus in consuetudinem non vene-

---

[1]) cf. descriptionem viae ad virtutes ferentis c. 15 sq., Beatitudinem in summo monte habitantem c. 21.

[2]) Mueller Handb. d. Arch. d. K. § 411.

[3]) cf. Koert. p. 84, 89; Mueller Handbuch §§ 325, 405.

rant, tum Fortuna antea inconstantiae et mobilitatis signis non erat instructa. Deinde rerum humana specie indutarum multitudo de ea pingendi arte admonet, quam in vasis recentiores adhibuerunt. Denique quod auctori propositum erat de philosophia et de moribus praecipere, non ipso artificio delectare, id ipsum quoque indicium est eius aetatis, qua ars Graecorum a praestantiae culmine coeperat delabi.

2. De scriptorum allegoriis.

Quam facile apud Graecos veteres res naturae hominumque actiones et vitae condiciones et animi affectiones personas induerint, nemo antiquitatis Graecae peritus ignorat. Satis est verbo monere de Homero (Il. IX 502—511, XIX 91—136), Hesiodo (theog. 224, 231), tragicis poëtis (Aesch. Sept. 409, Sophocl. Phil. 776, 837, Electr. 75), de quorum prosopopoeiis mentionem facit Poll. onom. IV 141 sq., Aristophane, qui in fabula, quae *Πλοῦτος* inscribitur, Divitias[1]) personam in scenam produxit. E philosophis constat Pythagoram rebus humanis allegoricam expositionem solitum esse adhibere, cuius litteram illam Y supra commemoravimus. De eiusdem familia haec legimus in schol. ad Plat. Phaed. 61 d.: *οὗτος ὁ Φιλόλαος Πυθαγόρειος ἦν . . . ὃς καὶ δι' αἰνιγμάτων ἐδίδασκε, καθάπερ ἦν ἔθος αὐτοῖς* et apud Stob. 5, 72: *οὐδέν ἐστιν οὕτω τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας ἴδιον, ὡς τὸ συμβολικόν.* Deinde Parmenidis carmen affero, cuius initium aliqua similitudine cum Tabulae eis locis coniungitur, quibus de scientia et opinione auctor suam profert sententiam. Ne Plato quidem silentio est

[1]) Divitias persona induerat ex iis, qui ante Aristophanem fuerunt, Theognis v. 523 sq. Idem spem divina specie ornat apud Stob. 110, 11 et 12.

praetereundus, cuius ex mythis cum multi, tum is huc pertinet, qui narratur de rep. X p. 614 sq.[1]).

Sed haec omnia levia sunt, si cum allegoriarum multitudine a Stoicis philosophis inventarum ea comparaveris. Qui eo, quod supra tetigimus, studio ducti quam minime possent contra Graecorum de religione sententias pugnandi fabulas quoque de dis antiquitus traditas conservarunt, ita tamen, ut allegorice eas interpretarentur et dogmata sua ad rerum naturam moresque pertinentia iis vellent significari atque illustrari[2]). Velut Herculis apro statuerunt designari libidines, cervo ignaviam, avibus vanam spem, Cyclopibus iracundiam, Circe voluptates[3]).

---

[1]) Ex hoc mytho nescio an nonnulla Pinacis auctori obversata sint. Cf. eum locum, qui est Plat. rep. 10, p. 621 a: *μέτρον μὲν οὖν τι τοῦ ὕδατος πᾶσιν ἀναγκαῖον εἶναι πιεῖν, τοὺς δὲ φρονήσει μὴ σωζομένους πλέον πίνειν τοῦ μέτρου*, cum Ceb. Tab. 5 sq.: *πότερον οὖν πάντες πίνουσι τὸν πλάνον ἢ οὔ; Πάντες πίνουσιν, ἔφη· ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δὲ ἧττον.* De ceteris Platonis locis, qui huc pertinent, plurimis affero conv. 203 sq., ubi *Πόρος* et *Πενία* inducuntur.

[2]) Cum Stoicis convenit illud Dionis Chrys. II 193 Dind.: *καὶ τῶν φιλοσόφων ἤδη τινὲς τοιοῦτοι γεγόνασιν, ὥστε ὁποῖον ἂν μῦθον ἢ λόγον λάβωσιν ἕλκοντες καὶ πλάττοντες κατὰ τὴν αὑτῶν διάνοιαν ὠφέλιμον καὶ φιλοσοφίᾳ πρέποντα ἀπέδειξαν.*

[3]) Cf. exempla a Zellero hist. phil. Gr. III 1, 312 congesta. Huius interpretandi rationis quasi initia deprehendi apud Xenophontem comm. 2, 6, 11: *ἃ μὲν αἱ Σειρῆνες ἐπῇδον τῷ Ὀδυσσεῖ, ἤκουσας Ὁμήρου ... ταύτην οὖν, ἔφη, τὴν ἐπῳδήν, ὦ Σώκρατες, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις αἱ Σειρῆνες ἐπᾴδουσαι κατεῖχον ... ὥστε μὴ ἀπιέναι ἀπ' αὐτῶν τοὺς ἐπᾳσθέντας; Οὐκ ἀλλὰ τοῖς ἐπ' ἀρετῇ φιλοτιμουμένοις οὕτως ἐπῇδον.* Cf. ibidem 2, 6, 31; 1, 37. Similiter Plato Euthyd. 297 c: *πολὺ γάρ πού εἰμι φαυλότερος τοῦ Ἡρακλέους, ὃς οὐχ οἷός τε ἦν τῇ τε ὕδρᾳ διαμάχεσθαι σοφιστρίᾳ οὔσῃ καὶ διὰ τὴν σοφίαν ἀνιείσῃ, εἰ μίαν κεφαλὴν τοῦ λόγου τις ἀποτέμοι, πολλὰς ἀντὶ τῆς μιᾶς, καὶ καρκίνῳ τινὶ ἑτέρῳ σοφιστῇ.* Sed apud Platonem et Xenophontem haud ita saepe talia occurrunt, cum Stoici in eiusmodi interpretationibus summum studium consumpserint.

Quae allegoricae expositionis ratio ab ea, de qua adhuc disputavimus, ita recedit, ut illic imago prius sit, sententia substituatur[1]), hic prius sit sententia, quae imagine quasi vestiatur. Sed ne huius quidem generis allegoriae exempla apud Stoicos desunt. Philosophiae enim suae partitionem ita descripserunt, ut totam philosophiam compararent cum horto, cuius saepimentum esset logice, arbores physice, fructus ethice; vel universam philosophiam cum ovo, logicen cum testa, physicen cum alba eius parte, ethicen cum flava, vel totam philosophiam cum corpore, cuius ossibus et nervis significaretur logice, carne ethice, anima physice[2]). Quas imagines haud inepte Wellmannius[3]) ab ipso Stoicae sectae conditore, Zenone, putat originem traxisse, quippe quem imaginum amantem — ut fere solent Asiani — fuisse liceat suspicari. Quod utut se habet, certe Stoici primis iam post conditam sectam temporibus eiusmodi translationibus studebant. Declarat Cleanthis illa imago a Cicerone de fin. II 21, 69 his verbis descripta: Jubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula Voluptatem pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem; praesto esse Virtutes ut ancillulas, quae nihil aliud agerent . ., nisi ut Voluptati ministrarent. — Divitias et Virtutem Teles inter se inducit altercantes apud Stob. 91, 33, ubi auxiliantes subveniunt Voluptates, Spes, Vota, Cupiditates, Bona Valetudo, Parsimonia, Luxuria. Idem paupertati personam induit Stob. 5, 67[4]). Ne hoc qui-

---

[1]) Huius generis exemplum in Tabula occurrit 3, 3: *ἡ γὰρ Ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις Σφίγξ ἐστιν*; vid. infr. p. 102.

[2]) De his imaginibus, quibus alia accedit, quae de urbe bene munita deprompta est, cf. Diog. Laert. VII 40.

[3]) Fleckeisenii annales 1873, p. 445.

[4]) Ex Academicis Crantor Divitias, Voluptatem, Bonam Vale-

dem abs re esse mihi videtur commemorare, in Cynicorum quae feruntur epistulis ipsam illam, quam in Tabula illustratam invenimus, imaginem viae asperae ad virtutem ferentis Beatitudinisque in summo monte sedentis non raro occurrere. Cf. epist. 12, p. 238 Herch.: *ὅταν δ' ἐπὶ τὴν ὁδὸν ἀφίκωνται καὶ αὐτῆς τὴν χαλεπότητα θεάσωνται ὡς ἀσθενοῦντες ὀπίσω ἀναχωροῦσιν, εἶτα μέμφονταί που οὐχ αὑτῶν τὴν μαλακίαν, ἀλλὰ τὴν ἡμῶν ἀπάθειαν* cum Tab. 27; 28, 2; epist. 38 p. 252 Herch. *ἐν τῇ ὁδῷ τῇ φερούσῃ ἐπ' εὐδαιμονίαν . . . ἐν τόπῳ ὀχυρωτάτῳ καὶ ἀποκρημνοτάτῳ μίαν ὁδὸν προσάντη καὶ τραχεῖαν ἱδρύσασθαι* cum Tab. 15. Epist. 30 item agitur de via in arcem (cf. Tab. 21, 2) et ad Beatitudinem ferente. Quae epistulae licet omnes subditiciae sint existimandae, id tamen vix quisquam negabit, earum auctores iis imaginibus usos esse, quas Cynicis et Stoicis re vera in usu fuisse sciebant. Quid? quod tam arte cum Stoicorum disciplina prosopopoeiarum usus cohaerebat, ut, Plutarcho (Plac. 1, 6, 9) si fidem habemus, unum ex deorum generibus esse statuerent *πράγματα* et *πάθη*, velut *Ἐλπίδα, Δίκην, Εὐνομίαν, Ἔρωτα, Πόθον.*

Itaque quae supra de artificibus statuimus, ea ita congruunt cum hac de librorum auctoribus et philosophis quaestione, ut ex his quoque eos maxime allegoriarum et prosopopoeiarum usui indulsisse videamus, qui fuerunt post Alexandrum. Jam quinam in ea re plurimum studii posuerint quorumque translationes proxime absint a Tabula si quaerimus, ad prima post Chr. n. saecula remittimur. Drosihnus (p. 14), quantum hac aetate apud poëtas Romanos consuetudo allegorias fingendi invaluerit et quam crebri in hac re fuerint Dio Chrysostomus et

---

tudinem, Virtutem finxit apud Graecos de palma certantes. (Sext. Empir. adv. math. XI 51—59, Mull. fr. phil. Graec. III p. 150 sq.)

Lucianus, breviter monuit; nos in ea, quae huius generis apud Philonem Judaeum, Dionem Chrysostomum, Lucianum inveniuntur, exempla diligentius inquiremus. Hi enim ex omnibus eius aetatis scriptoribus plurimi in hac fingendi ratione fuisse mihi videntur.

Atque Philonis quidem quot allegoriae iis libris contineantur, quibus sanctis Judaeorum scriptis allegoricam adhibet interpretationem, vix quisquam enumeraverit; neque nobis cura est nisi de eis, quae cum Cebeticis aliqua similitudine coniunguntur. De ratione inter artes liberales et veram philosophiam intercedente[1]) haec dicit leg. all. III 87 p. 135 M.: *Ὁ γὰρ μελετῶν ἐν ἀρετῇ τελείᾳ κατοικεῖν, πρὶν ἐγγραφῆναι τῇ πόλει αὐτῆς, τοῖς ἐγκυκλίοις μαθήμασι παροικεῖ, ἵνα διὰ τούτων πρὸς τελείαν ἀρετὴν ἀφέτως ὁρμήσῃ.* De eadem re de congr. quaer. erud. grat. 3, p. 520 M.: *Θεραπαινὶς . . σοφίας ἡ διὰ τῶν προπαιδευμάτων ἐγκύκλιος μουσικὴ καὶ λογική. Ὥσπερ γὰρ ἐν μὲν οἰκίαις αὔλειοι πρόκεινται κλισιάδων, ἐν δὲ πόλεσι τὰ προάστεια δι᾽ ὧν εἴσω βαδίζειν ἔνεστιν· οὕτως καὶ ἀρετῆς πρόκειται τὰ ἐγκύκλια. Ταῦτα γὰρ ὁδός ἐστιν ἐπ᾽ ἐκείνην φέρουσα.* Praeterea compara eum locum, qui est leg. all. II 24, p. 84: *ἄτριπτος μὲν ὁ ἀρετῆς χῶρος, ὀλίγοι γὰρ βαίνουσιν αὐτόν, τέτριπται δὲ ὁ κακίας* cum Tab. 15, ibid. 26 p. 86 M.: *σπούδασον στεφανωθῆναι κατὰ τῆς τοὺς ἄλλους ἅπαντας νικώσης ἡδονῆς καλὸν καὶ εὐκλεᾶ στέφανον* cum Tab. 22. De Tab. 9, 18 admonet d. merc. meretr. 2, p. 265 M.: *δύο γὰρ ἡμῶν ἑκάστῳ συνοικοῦσι γυναῖκες ἐχθραὶ καὶ δυσμενεῖς ἀλλήλαις . . Τούτων τὴν μὲν ἑτέραν ἀγαπῶμεν . . . καλεῖται δὲ ἡδονή. Τὴν δὲ ἑτέραν ἐχθραίνομεν . . . ὄνομα δὲ καὶ ταύτης ἐστὶν*

[1]) v. supra p. 51 sq. cf. Tab. 32 et totius picturae a Cebete descriptae compositionem; facile inducaris ut Tabulam Philoni, vel Philonis locum Cebeti dicas obversatum esse.

ἀρετή. Ἡ μὲν οὖν προσέρχεται πόρνης καὶ χαμαιτύπης τρόπον τετρυμμένη (Tab. 9 κεκοσμημένας ὥσπερ ἑταῖραι εἰώθασι), ... Συνομαρτοῦσι δ' αὐτῇ τῶν συνηθεστάτων πανουργία, προπέτεια, κολακεία, φενακισμός, ἀπάτη, ψευδολογία, ψευδοδοξία, ἀσέβεια, ἀδικία, ἀκολασία. Virtus contra sic describitur 3 p. 167 M.: ἐλευθέρας καὶ ἀστῆς προσφερομένη πάντα ... ἀψευδὲς ἦθος, ... σχέσιν ἄπλαστον ... μετρίαν ἐσθῆτα. Συνείποντο δ' αὐτῇ εὐσέβεια, ὁσιότης, ἀλήθεια, θέμις, ἁγιστεία καὶ εὐορκία, δικαιοσύνη, ἰσότης, εὐσυνθεσία cet.[1]). De vit. cont. 9 p. 482 ἐπιθυμία dicitur θρεμμάτων ἀπληστότατον (cf. Tab. 23 ubi ignorantia et error bestiae appellantur); eodem pertinet leg. all. II 4 p. 68 M.: τὰ θηρία τῆς ψυχῆς τὰ πάθη. Leg. all. III 53: δεσπότης ἀντὶ δούλου γίνομαι καὶ ἀνακράτος νικῶ καλὴν νίκην καρτερίας καὶ σωφροσύνης similitudine coniungitur cum Tab. c. 22.

Multa ex Philonis scriptis afferri possunt, quae ad Cebetis Tabulam proxime accedant; sed iis ipsis, quae exscripsi, satis artam illam cognationem illustrari existimo. Quodsi quaeris, uter prior et — si modo alterius utrius opus alteri obversatum est — alteri ad imitandum videatur propositus fuisse, confiteor certum indicium de hac re mihi nullum obvenisse. Quamquam id aliquanti ponderis esse ausus sim affirmare, quod in Philonis imitatione Prodiceae illius de Hercule fabulae (de merc. meret. 2 p. 265 M.) personae et plures et uberius descriptae amplioribusque naturae suae atque indolis signis instructae occurrunt quam in Pinace. Fere enim sic fieri solet, ut imitator eius, cuius vestigia premit, expositionem amplificare novaque vel ab ipso inventa vel aliunde deprompta addendo exornare studeat. Atqui in Tabula paucis per-

---

[1]) **Eadem allegoria paulo decurtata invenitur de sacrif. 5 p. 167 M.**

sonae delineantur. Velut 5,1 Fraus his describitur: *πεπλασμένη τῷ ἤθει καὶ πιθανὴ φαινομένη*; 9,1 Intemperantia ceteraeque quae cum ea versantur mulieres: *κεκοσμημένας ὥσπερ ἑταῖραι εἰώθασι*; 18,1 Vera Eruditio: *καλὴ καὶ καθεστηκυῖα τὸ πρόσωπον, μέση δὲ καὶ κεκριμένη ἤδη τῇ ἡλικίᾳ, στολὴν δ' ἔχουσα ἁπλῆν τε καὶ ἀκαλλώπιστον*; 21,3 Beatitudo: *γυνὴ εὐειδής τις κάθηται ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ, κεκοσμημένη ἐλευθέρως καὶ ἀπεριέργως καὶ ἐστεφανωμένη στεφάνῳ εὐανθεῖ πάνυ καὶ ποικίλῳ*; 16,1 Temperantia et Moderatio: *λιπαρὰς καὶ εὐεκτούσας τῷ σώματι*; 20,2 Virtutes: *ὡς εὐειδεῖς δοκοῦσιν εἶναι καὶ εὔτακτοι καὶ στολὴν ἀτρύφερον καὶ ἁπλῆν ἔχουσαι· ἔτι δὲ ὡς ἄπλαστοί εἰσι καὶ οὐδαμῶς κεκαλλωπισμέναι καθάπερ αἱ ἄλλαι*; 12,2 Falsa Eruditio: *ἡ δοκεῖ πάνυ καθάριος καὶ εὔτακτος εἶναι.* Apud Philonem contra Voluptas septemdecim attributis describitur, quaeque 167 M. Virtutis exhibetur adumbratio non minus est verbosa. Quid vero dicam de numero personarum? Cum in Tabula Intemperantiae tres (9,3), Verae Eruditioni duae adiungantur sociae (18,2), apud Philonem Voluptatis decem, Virtutis triginta quattuor enumerantur comites.

Id igitur, si modo alteruter alterius opere usus est, sine ulla dubitatione suspicabimur, Cebetis Tabulam prius compositam esse quam Philonis illam Prodiceae fabulae imitationem.

Jam videamus de Dione Chrysostomo. Ex eius orationibus quae huc pertinent, haec sunt. Or. d. regn. 4 p. 79 sq. Dind. Dio tribus illis, quas statuit, vivendi rationibus genios tres fingit praesidentes, unum luxuriae deditum corporisque voluptatibus, alterum divitiarum quaestui, tertium gloriae atque honoribus. Cum his *Ἀπάτη* versatur, quae (p. 85 Dind.) his verbis describitur: *πάνυ ὡραία καὶ πιθανή, κεκοσμημένη κόσμοις πορνικοῖς,*

μειδιῶσα καὶ ὑπισχνουμένη πλῆθος ἀγαθῶν, ὡς ἐπ' αὐτὴν ἄγουσα τὴν εὐδαιμονίαν; de eadem p. 88: *Ἀπάτη δὲ καὶ τούτῳ παρέπεται τῷ δαίμονι ἁπασῶν πιθανωτάτη*. Cum his ex Cebetis Tabula haec comparanda sunt: 5,1 *Ἀπάτη* dicitur *πιθανή*; 6,3 Opiniones, Cupiditates, Voluptates *ἐπαγγέλλονται ὡς ἐπὶ τὰ βέλτιστα ἄξουσαι καὶ εἰς βίον εὐδαίμονα καὶ λυσιτελῆ*. 9,1 Vitia finguntur *κεκοσμημέναι ὥσπερ ἑταῖραι εἰώθασι*[1]). Genios illos quasi furentes duces sequitur vulgus indoctum 79, 12 (cf. Tab. c. 7). Avaritiae genius praeterea est caecus (81,10; *τυφλοῦ δικαίως καὶ λεγομένου καὶ γραφομένου τοῦ πλούτου τυφλότερος ἐραστής*)[2]). Praeterea commemoro cupiditates p. 84 l. 28 humana specie indutas (*ἀγέσθω δὲ ὑπὸ γυναικῶν ἀναισχύντων καὶ ἀκολάστων ἐπιθυμιῶν τινων λεγομένων*)[3]). Voluptas, quae or. 4 p. 82 et or. 12 p. 224 deae partes agit, or. 8 p. 149 laborum et miseriae hominibus causa exsistit: *ἡ γὰρ ἡδονὴ κρατήσασα αὐτῶν καὶ παραλαβοῦσα τοῖς πόνοις παραδίδωσι τοῖς ἐχθίστοις καὶ χαλεπωτάτοις*. Haec proxime absunt a Tab. 9,4: *ἀναγκάζεται ταύταις ταῖς γυναιξὶ δουλεύειν ... παραδέδονται τῇ Τιμωρίᾳ*. Deinde ut in Tabula homines Fraudis

---

[1]) Similiter in Dionis descriptione genii avaritiae p 82: *βαπτὸν ἀμπεχομένῳ τριβώνιον μιᾶς τινος τῶν ἑταιρῶν ὧν ἴσμεν*.

[2]) Huic consensioni ne nimium ponderis tribuamus, obstat quod eodem signo instructae Divitiae haud ita raro occurrunt; cf. Aristoph. Plut. 87, Plat. leg. I 631 c; Menand. apud Stob. 93, 21; Luc. Tim. 20 p. 41 Jacob., 24 p. 43 Jac.

[3]) Or. 80 p. 292 Dind. homines a mulieribus quibusdam (Cupiditatibus) vinculis et servitute premuntur. Inter hos locos et Plat. leg. I 644 c (*δύο δὲ κεκτημένον ἐν αὑτῷ ξυμβούλω ἐναντίω τε καὶ ἄφρονε, ὣ προσαγορεύομεν ἡδονὴν καὶ λύπην*) quanta sit discrepantia, nemo est quin videat. Etiam apud Platonem voluptas et maeror personae finguntur, sed nullum est indicium, quo illi imaginem animantis humana specie praediti obversatam esse colligas. Idem valet de Xenophontis eo loco, qui est comm. 1, 2, 23.

veneno imbuti *ναυαγοῦσιν ἐν τῷ βίῳ καὶ πλανῶνται* (24,2), sic apud Dionem ii, quos genii illi deceperunt, *πλανῶνται κατὰ τὸν βίον*. Ne ea quidem praetereunda sunt, quae or. 30 p. 340 sq. exponuntur, ubi voluptas a duobus quasi ministris hominibus praebetur, quorum unus est *Νοῦς*, alter *Ἀκράτεια*. Cratera appellatur *Σωφροσύνη*[1]). Alia imago exstat or. 30 p. 333 Dind., ubi mundus carcer fingitur, quo a dis simus inclusi.

Etiam apud Dionem Chrysostomum invenis imitationem Prodiceae illius allegoriae. Quam haud abs re esse mihi videtur cum Tabula comparare. Atque idem, quod supra de Philone monuimus, de Dione valet[2]). Descriptio enim personarum quamquam multo simplicior et brevior est apud Dionem quam apud Philonem, tamen aliquanto uberior est et copiosior quam in Tabula; cf. p. 15, 20; 17, 11. Comites porro, quibus abundant et *Τυραννίς* et *Βασιλεία*, fusius depinguntur; cf. p. 16,10; 18,10. A Xenophonte et Cebes et Dio ita recedunt, ut primum ordinem illum, quo utriusque feminae primum describitur color, deinde oculi, tum habitus, postremo vestis — cf. Xen. comm. II 1,22: *κεκοσμημένην τὸ μὲν χρῶμα καθαρειότητι, τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ, τὸ δὲ σχῆμα σωφροσύνῃ, ἐσθῆτι δὲ λευκῇ, τὴν δ' ἑτέραν τεθραμμένην μὲν . . . ., κεκαλλωπισμένην δὲ τὸ μὲν χρῶμα, ὥστε λευκοτέραν τε καὶ ἐρυθροτέραν τοῦ ὄντος δοκεῖν φαίνεσθαι, τὸ δὲ σχῆμα, ὥστε δοκεῖν ὀρθοτέραν τῆς φύσεως εἶναι, τὰ δὲ ὄμματα ἔχειν ἀναπεπταμένα, ἐσθῆτα δέ, ἐξ ἧς ἂν μάλιστα*

---

[1]) Frequenter a Dione in translationibus adhibita est comparatio potionis; cf. or. 32 p. 415 Dind.: *ποίῳ χρισάμενοι φαρμάκῳ; δῆλον ὅτι τῷ τῆς ἀνοίας*, or. 8 p. 148: *οὐδὲ γὰρ ἔστιν ἡδονῇ συνόντα . . . μὴ οὐ πάντως ἁλῶναι· ὅταν οὖν κρατήσῃ καὶ περιγένηται τῆς ψυχῆς τοῖς φαρμάκοις*; or. 7 p. 140: *σωφροσύνης φάρμακον.*

[2]) Cf. or. 1 p. 14 sq. Dind.

ὥρα διαλάμποι — reliquerint summaque in describendo usi sint varietate, deinde utrique personarum multitudinem quasi comites addiderint, tum viae illius, qua homines ad virtutem[1]) nituntur, imaginem expresserint (cf. Tab. 15, 3 *ἀνάβασις στενὴ πάνυ καὶ κρημνοὺς ἔχουσα ἔνθεν καὶ ἔνθεν βαθεῖς*, Dio p. 15 l. 5: *ἡ δὲ ἑτέρα στενήν τε καὶ σκολιὰν καὶ βίαιον, ὡς τοὺς πλείστους πειρωμένους αὐτῆς οἴχεσθαι κατὰ τῶν κρημνῶν*)[2]); apud Xenophontem viae virtutis et vitiositatis commemorantur 2,1, 21; 23; 27; 29, sed ita ut pluribus non describantur neque imagines earum exprimantur.

Haec igitur sunt, in quibus Tabulae auctor et Dio conveniant. Verborum consensionem, qua Pinacem Dioni notum fuisse efficiatur, non deprehendi. Quod enim uterque utitur vocabulo *καθεστηκώς* (Dio p. 15, l. 19; Tab. 18,1), alias hac significatione haud frequenter adhibito[3]), huic rei non multum tribuerim momenti[4]). Deinde quod Dio p. 15 l. 20 Legitimam Dominationem in solio facit sedentem (cf. Tab. 21, 3), quae imago a Xenophonte aliena est, vix opus est monere, quam facile ille in allegorica regni et tyrannidis descriptione ut ita fingeret adduci potuerit, etiamsi Cebetis Tabula ei non obversaretur.[5])

---

[1]) Apud Dionem ad tyrannidem; cum enim de tyrannide et regno agitur, ipsa ratio fert, ut viam periculosam et lubricam tyrannidi assignemus. Haec igitur discrepantia, quae est inter Xenophontem et Dionem, ipsa re et materia requiritur.

[2]) Hac in re Cebes et Dio Hesiodeum illud secuti sunt, quod exstat apud Xenophontem comm. 2, 1, 20.

[3]) v. infra part. IV.

[4]) Cum Xenophonte ea in re Dio convenit, quod Legitimae Dominationi vestem tribuit „candidam“ (Dio p. 15, 22; Xen. II 1,22), cum Cebes Verae Eruditionis vestem esse velit „simplicem ornatuque carentem“ (18, 1).

[5]) Forsitan id presseris, quod ut in Tabula peregrinis a sene,

His allegoriarum et prosopopoeiarum exemplis adde, quod ipse Dio or. 4 p. 79 de studio suo imagines verbis repraesentandi confitetur: φέρε οὖν, καθάπερ οἱ κομψοὶ τῶν δημιουργῶν ἐπὶ πάντα ἔμβραχυ φέρουσι τὴν αὑτῶν ἐπίνοιαν καὶ τέχνην, οὐ μόνον τὰς τῶν θεῶν ἀπομιμούμενοι φύσεις ἀνθρωπίνοις εἴδεσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον ... οὐκοῦν καὶ ἡμεῖς μὴ χείρους μηδὲ φαυλότεροι περὶ τοὺς λόγους φανῶμεν ἤπερ ἐκεῖνοι περὶ τὰς αὑτῶν τέχνας τῷ πλάττειν καὶ ἀφομοιοῦν ... οὐδὲν γὰρ ἄσχημον· οὐδὲ νεμεσητὸν καὶ ποιηταῖς παραβαλλομένους καὶ χειροτέχναις καὶ καθαρταῖς ὁρᾶσθαι, εἰ δέοι σπεύδειν πανταχόθεν εἰκόνας καὶ παραδείγματα πορίζοντας, ἄν πως ἰσχύσωμεν ἀποτρέψαι κακίας καὶ ἀπάτης ...: iam quam arta ille in hac re cum Cebete iungatur cognatione et quam recte, de Tabula ubi quaestio instituitur, de Dione moneatur, perspicies. Gronovius quidem Tabulam Dioni Chrysostomo ante oculos fuisse suspicatus est, neque de iis, quae supra de utriusque imitatione Prodiceae fabulae disputavimus, si cogito, aliter statuendum esse mihi persuadeo. Quod enim Drosihnus[1]) post Dionem Pinacis auctorem fuisse existimat, haec sententia quo confirmaretur omnes Dionis orationes percurrens nullum inveni argumentum. Nam qua re ob eam, quae in duplicis

sic apud Dionem Herculi a Mercurio, quid illae mulieres significent, explicatur, non, ut apud Xenophontem, Hercules cum ipsis illis feminis colloquens inducitur; quo fit, ut interrogationibus et responsionibus alternantibus Dionis loci quidam Tabulae sint simillimi; id quod maxime de eo loco valet, qui est p. 16, 10 sq. (cf. Tab. 10, 2 sq.). Sed hoc non Cebetis imitatione, sed ipsa imaginis a Dione positae compositione mihi videtur effectum esse; etenim apud Xenophontem illae mulieres Herculi ultro se offerentes ipsae, quae sint, explicare possunt. Apud Dionem cum illae in summis montibus sint collocatae, alia ratio interpretandi non erat, quam ut novam personam Dio induceret, quae illud negotium subiret.

[1]) cf. die Zeit des *Πίναξ Κέβ.* p. 14; edit. Tab. praef. p. 3.

eruditionis eorumque, qui falsae eruditioni favent, descriptione[1]) inter Dionem et Cebetem est, consensionem Cebes utique Dionem, non Dio Cebetem imitatus esse putandus sit, non video. Quamquam unus Dionis locus mihi obvenit, ex quo Tabulae auctorem Dione recentiorem fuisse primo obtutu colligas. Dio enim or. 9 p. 154 narrat Diogenem, cum ludis Isthmiacis ipse corona se ornasset ob eamque rem reprehensus esset, dixisse magnos a se victos esse adversarios, cum superasset paupertatem, exsilium, infamiam, iram, tristitiam, cupiditatem, metum, tum bestiam omnium maxime invictam, voluptatem[2]). Cum hoc loco si comparaveris Tab. 22 sq., cum summam deprehendes similitudinem, tum Dionis narrationem Cebeti notam fuisse inde suspicaberis, quod vitia illa atque animi affectiones, quae mulieres in Tabula alias ubique finguntur, hic bestiae dicuntur (cf. Tab. 18, 1, 2). Quae offensio tantum abest, ut eo loco, qui est 26,2 (.. *ἐκείνας τὰς γυναῖκας, ἅς ἔφης θηρία εἶναι*) tollatur, ut his verbis nihil probetur nisi auctoris neglegentia et stultitia aliena temere transcribentis, quaeque inter se concinere non possunt, concinnare studentis. Ne sic quidem illa discrepantia excusari potest, ut dicas vitia monstra fingi parte corporis mulieres, parte bestias[3]). Etenim huius rei in descriptione 9,1; 10, 2, 3 facta nullum exstat indicium. Itaque maxime inter se pugnant 10, 2, 3; 9,1 et 22; 26, 2 autem per se ipsum absurdum est.

Qua re facile commoveare, ut statuas Dionis illum locum Pinacis auctori obversatum esse, quaeque illic Dio-

---

[1]) cf. die Zeit d. *Πίναξ Κέβ.* p. 14 sq.

[2]) Similis narratio invenitur apud eundem or. 8 p. 146 sq. Dind.

[3]) Hoc modo ea describi potuisse cum ipsa re et ratione perspicuum est, tum Dionis Chrysostomi fabula Libyca (or. 5) probatur.

genes disputat de certamine cum voluptatis bestia inito Cebetem assumpsisse neque cogitasse de mulierum specie, quam ipse aliis locis iisdem vitiis induerat, deinde hanc discrepantiam ita tollere conatum esse, ut easdem feminas bestias appellaret. Sed ne sic existimem obstat, quod mihi non persuadeo illam de Diogene fabulam a Dione inventam esse neque aliunde Cebetem eius notitiam potuisse accipere. Etenim quod illa nisi ex Dione hodie afferri nequit[1]), huic rei, si cogitaveris de sescentis illis vitarum scriptoribus, quorum vix nomina usque ad nostram aetatem manserunt, opera interciderunt, nihil tribueris momenti[2]).

Idem de ea consensione valere mihi videtur, quae est inter Ceb. tab. 3, 2: *ἡ γὰρ Ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις Σφίγξ ἐστιν* et Dionis or. 10 p. 166, 13 sq.: *ἐγὼ δὲ ἤκουσα τοῦ λέγοντος ὅτι ἡ Σφὶγξ ἡ ἀμαθία ἐστί.* Quanto enim studio Stoici incubuerint in fabulas allegorice explicandas mythologiaque res morales illustrandas, ex iis, quae supra[3]) de hac re disputavimus, apparet. Propterea malim arbitrari utrumque eandem allegoricam interpretationem aliunde assumptam adhibuisse, quam Cebetem hac in re Dionis aut Dionem Cebetis imitatorem fuisse. Prius enim illud vix audeam statuere adversante ea, quam inter Dionis or. 1 et Tabulam intercedere vidimus (p. 98 sq.), ratione; hoc autem vix credam ob ea, quae obliqua oratione p. 166, 14 sq. ad-

---

1) cf. Mull. fr. II 299—330.

2) Concedo Dionem adamasse comparationem bestiarum; cf. or. 5 p. 90 sq.; or. 30 p. 334, 13; or. 32 p. 409, 4; or. 74 p. 258, 27. Sed ob id ne dicas illam narrationem a Dione inventam esse, ipsum Diogenem Diog. Laert. 6, 51 tradit sycophantas et adulatores bestias dixisse.

3) cf. p. 91 sq.

duntur: ταύτην οὖν καὶ πρότερον διαφθεῖραι τοὺς Βοιωτοὺς καὶ νῦν [1]).

Sed satis de Dione Chrysostomo. Jam de Luciano videamus. De quo brevis esse possum, cum iam non id quaeratur, utrum Pinacis auctor Lucianum, an Lucianus illum imitatus sit neque attineat afferre locos, quibus artior quaedam cognatio inter illos intercedens ostendatur — Tabulam enim sibi ad imitandum propositam esse duobus locis ipsis verbis dicit Lucianus [2]) —, sed id agatur, ut Lucianus quoque testimonio sit, quantopere illius aetatis scriptoribus allegoriae et prosopopoeiae placuerint. Praetermissis iis, quae Drosihnus, qui recte p. 14 animadvertit de Luciani abundantia translationum, congessit, haec commemoro: Halc. c. 11 p. 252 sq. Jac. philosophia humana specie induta occurrit. In eiusdem dialogi c. 15 p. 255 inveniuntur Ἀρετή, Σωφροσύνη, Δικαιοσύνη, Παιδεία, Ἀλήθεια, bis accus. 5 p. 4 Jac. Ἀδικία, 8 (p. 5) Σοφία (eadem 13, 14 sq.), 15 (p. 11) Μέθη, 19 sq. (p. 14 sq.) Ἡδονή (quae 20 describitur quasi ἑταιρικῶς ἐσκευασμένη, cf. Tab. 9, 1); 25 sq. (p. 19 sq.) Ῥητορική (31 κοσμουμένη .... καὶ τὰς τρίχας εὐθετίζουσα εἰς τὸ ἑταιρικόν), Fugit. 3 (p. 288) Φιλοσοφία, 21 (p. 295) Ἀμαθία, Ἀδικία. Vera hist. 2, 33 (p. 67) Ἀπάτη, Ἀλήθεια. Prodiceam illam allegoriam in memoriam redigit rhet. praec. c. 3 sq. p. 85 sq. Jac. [3]).

Jam quid hac, quam de allegoriae usu instituimus,

---

[1]) In Tab. ex his nihil occurrit; quamquam ea a Dione affingi falsoque eidem, qui Sphingis allegoriam invenit, attribui potuisse non nego. Ea, quae in fine apposuit Dio: ὅσοι γὰρ ἀμαθεῖς ὄντες cet. vehementer admonent de Tab. 35, 5.

[2]) cf. supra p. 10 (Lucian. de merc. cond. 42, rhet. praec. 6 sq).

[3]) Prodicea allegoria quantopere antiquis placuerit, ex multitudine imitatorum apparet, quos Mullachius enumerat fr. phil. Graec. II p. LXXVIII.

quaestione profecerimus, si quaeris, haec mihi videntur respondenda esse: Ea, quae de artificibus exposuimus, declarant non ante Alexandrinam aetatem Tabulam confectam esse. Quae deinde de scriptoribus disputavimus, ea ipsa quoque nos adduxerunt, ut post Alexandri tempora Pinacis auctorem fuisse statueremus atque ei potissimum aetati eum assignaremus, qua Stoicorum allegorias fingendi studium secuti ii philosophi, qui de moribus scribebant, quam plurimas imagines operibus suis inserebant. Artissima hac in re cum Cebete coniungi similitudine vidimus Philonem Judaeum, Dionem Chrysostomum, Lucianum, ita tamen, ut magis in eorum inclinaremus sententiam, qui Cebetem ante Dionem fuisse existimant.

IV. De Tabulae sermone.

In Tabulae sermonem qui primus inquisivit, Drosihnus, ne quaestionem ad finem perduceret, quidque ex auctoris usu dicendi de eius aetate colligendum esset, in medium proferret, morte impeditus est. Itaque eius studii, quod in hac re Drosihnus posuit, fructus non exstat, nisi verborum index, quem editioni suae adiunxit. In quo componendo nonnumquam erroribus illum obstrictum esse neque omnia, quae in hac appendice congeruntur, aequi ponderis esse ad quaestionem de Tabulae germanitate instituendam recte monuit Jerramius[1]). Neque omnino eius ratio satisfacere videtur. Hoc enim apparet, si v. g. adverbium *ἀβεβαίως* (Tab. 7,2) ante Menandri aetatem in iis, quae ad nos pervenerunt, antiquitatis monumentis non invenitur, in hac re acquies-

[1]) Jerramii edit. praef. p. XII sq.; quem nimium Drosihno derogasse infra videbimus.

cendum non esse, sed etiam de adiectivo *ἀβέβαιος* quaeri debere. Quod si priore aetate adhibitum occurrit, nemo est quin videat casu fieri potuisse, ut adverbium in iis, quae ad nostram aetatem permanserunt, veterum Atticorum scriptis non obveniret neque quidquam huic rei tribuendum esse momenti. Mihi quidem tum demum ad Cebetis aetatem investigandam verborum indice profici videtur, si non modo de unoquoque vocabulo, sed etiam de cognatis viderimus neque satis rati antiquissimum cuiusque testem protulisse uniuscuiusque vocabuli quasi sortem et historiam evolventes quibusnam ex recentioribus scriptoribus maxime in usu fuerit ostenderimus.

Certiorem quam in verborum supellectile iudicii de libelli germanitate faciendi normam Jerramio adsentior in grammatico usu positam esse, ita tamen, ut si a praestantissimis sermonis Graeci auctoribus usus dicendi discrepat, optimo iure Tabulam suppositiciam esse affirmemus, ex consensione autem germanitas non efficiatur, cum is, qui librum composuit, illorum consuetudinem potuerit observare. Atque Tabulae sermo, grammaticam rationem si spectas, quam prope absit ab optimis atticismi exemplis, idem Jerramius monet p. XII sq. Sed quamvis diligenter auctor librorum Platonis studio se imbuerit eiusque non modo in singulis locutionibus[1]), sed in universo dicendi genere se praebeat imitatorem, tamen de eo quoque valet, quod Mommsenus[2]) de toto illo imitatorum grege animadvertit: non raro Platonis imitatoribus, cum compluribus saeculis peractis sermoneque Graeco paullatim haud mediocriter immutato illius usus dicendi plane eis in consuetudinem venire non posset,

---

[1]) vid. supra p. 32 adn. 3.

[2]) Entwickelung einiger Gesetze für den Gebrauch der griechischen Präpositionen, Frankfurt a. M. 1874 p. 11.

accidere, ut suam ipsi aetatem vel inviti proderent. Id autem consentaneum est in eis rebus facillime fieri, in quas in scribendo minime animadvertere soleas, velut in praepositionum usu in iisque vocabulis adhibendis, quorum duplex erat forma vel declinatio, altera ab Atticis, altera a *κοινῆς* quae vocatur scriptoribus in usum vocata. Quae mihi huius generis oblata sunt, enumerabo. Id praemoneo, de codicum scriptura non ita ubique constare, ut de omnibus locis certum iudicium facere liceat. Eae enim collationes, quibus usus est Schweighaeuserus — cuius in editione nititur Drosihnus —, vehementer dubito num ea, quam nos hodie requirimus, usquequaque cura factae sint. Muellerus[1]) autem non id spectavit, ut huius libri textum constitueret, sed ut rationem inter singulos libros manuscriptos ceteraque rei criticae in Cebetis Tabula exercendae adiumenta intercedentem exploraret. Quocirca non perpetuam codicum collationem praebuit, sed ea solum exscripsit, quae ad illustrandam librorum rat onem alicuius momenti esse videbantur[2]). Ita fit, ut quid quoque loco in optimis codicibus exstet, minus certo sciamus; sed vel iis, de quibus vix dubitare liceat, satis spero probatum iri, non plane Tabulae auctorem cum optimis atticismi scriptoribus convenire.

Atque primum, ad nomen quod attinet, haec mihi obvenerunt ab Atticis non plane reiecta, sed rarius adhibita:

6,1 legimus *πλεῖον*, cui formae Attici praeferebant *πλέον.*[3]) Cui rei, cum Atticorum consuetudo fluctuet, non multum tribuendum esse concedo.

---

[1]) De arte critica Ceb. Tab. adhib. Virceburgi 1877.

[2]) Ne Muelleri quidem collationem accuratam esse affirmavit Knoellius, Ztschr. f. d. österr. Gymn. 1878 p. 101 sq.; cui respondit Muellerus ibid. 1879 p. 251 sq. (Knoell. ibid. p. 336.)

[3]) cf. Kuehnerum gramm. Graec. I p. 439 et scriptorum locos ibi commemoratos.

40, 1 exstat *αἰσχρότατα*, quo superlativo non utebantur nisi recentioris aetatis scriptores.[1] Optimum cod. *V* Muellerus p. 55 docet haec praebere: *τὰ ἀσεβέστατα καὶ τὰ αἰσχρότατα εἶναι δοκοῦντα*, quam scripturam eo minus dubitabimus recipere, cum *C* haec exhibeat: *τὰ ἀσεβέστατα καὶ τὰ δοκοῦντα εἶναι*, ubi post alterum illud *τὰ* apparet vocabulum excidisse. Itaque perverse Jerramium fecisse existimo, quod illa *καὶ τὰ αἰσχρότατα εἶναι* delevit[2]) his defendens coniecturam: The words *τὰ αἰσχρότατα* (an unusual form of the superlative) are omitted in at least one MS. Dr. Müller retains them. Quod enim forma *αἰσχρότατα* minus est usitata — id quod imprimis Jerramio videtur suspicionem fecisse — id in hoc libro nemo non videt eo valere non debere, ut haec vocabula eiciamus.

7, 2 haec exhibent libri: *παρ' ὧν μὲν ἁρπάζει τὰ ὑπάρχοντα καὶ ἑτέροις δίδωσι, παρὰ δὲ τῶν αὐτῶν πάλιν ἀφαιρεῖται ἃ δέδωκε καὶ ἄλλοις δίδωσιν.* Haec articuli forma cum *μὲν* et *δὲ* coniuncta non adhibita est ante Demosthenis aetatem rarissimeque invenitur apud Atticos.[3]) Menandri exemplum ad huius loci sententiam proxime accedens exscripsit Kruegerus[4]): *οἷς μὲν δίδωσιν, οἷς δ' ἀφαιρεῖται θεός.*

De verbo si quaerimus, forma *ἠδυνάμεθα* (1,1) recentioribus potissimum Atticis in usu erat, quamquam ne priores quidem ab ea abhorrebant. Gravioris ponderis esse existimo quod bis 3. p. pl. ind. verbi *εἰδέναι* est

---

[1]) cf. Kuehner. gramm. graec. I p. 429, n. 2.

[2]) Apud Drosihnum, qui cod. C secutus sit, ne ipsum quidem haec voc. *καὶ τὰ αἰσχρότατα* exstant.

[3]) cf. Kuehner. gramm. gr. II p. 780. Apud posteriores hic usus magis magisque increbruit.

[4]) Sprachl. 50, 1, 5.

οἴδασι (2,1; 35, 3), etsi etiam Attici hac forma nonnumquam, sed rarius usi esse videntur.[1])

33,6 *V*, qui in hac libri parte textus constituendi fundamentum est, haec praebet: — *τὴν φωνὴν εἰδέναι· ἀκριβέστερον γὰρ ἄν τι συνήκαμεν*[2]); eadem exstant in *B* et *D*[3]). *C* exhibet haec: *τὴν φωνὴν ἀκριβεστέραν ἔχειν ἄν τι συνήκαμεν.*[4]) Verba igitur *ἄν τι συνήκαμεν* in omnibus, qui de hac re collati sunt, codicibus leguntur. Drosihnus, etsi ipse quoque de *BDC* scriptura sciebat, tamen illa verba glossema atque id mutilatum esse censuit. Ita fere eius sententia glossator scribere debuerat: *ἀκριβέστερον γὰρ ἄν τι συνίεμεν τὰ λεγόμενά ποτε* sc. *εἰ αὐτοὶ τὴν φωνὴν ᾔδειμεν*. In eo igitur Drosihnus offendere videtur, quod imperfecti *συνίεμεν* loco aoristus *συνήκαμεν* positus est. At in hoc nullam esse suspicionis causam vel ea, quae ex Platonis dialogis Kruegerus[5]) attulit, exempla satis declarant. Deinde quod illa *τὰ λεγόμενά ποτε* omissa sunt, haec non minus facile quam condicionale enuntiatum *εἰ ᾔδειμεν* ex sententiae ratione supplentur. Itaque cod. V secuti scribemus: *τὴν φωνὴν εἰδέναι· ἀκριβέστερον γὰρ ἄν τι συνήκαμεν.*

Cur de hoc loco verba faceremus, id erat causae, quod in iis, quae nobis videntur in textum recipienda

---

[1]) Cf. Kuehner. gramm. Gr. I p. 681. Apud posteriores hae formae non raro occurrunt. Ex prioribus praeter Herodotum soli commemorari possunt Xen. Oec. 20, 14; Lys. 11, 1. 1 ps. pl. *οἴδαμεν* ipsa quoque singulis locis Antiphontis (2, 3) et Xenophontis (Anab. 2, 4, 6) et Platonis (Alcib. II 141 e) exstat codicibus non consentientibus. *Οἶδας* apud Xenophontem occurrit 4, 6, 6. De hac forma cf. Phryn. ed. Lob. p. 236 sq.

[2]) cf. Mueller. l. l. p. 54.

[3]) Drosihni edit. p. 27.

[4]) Mueller p. 54.

[5]) Sprachl. § 54, 10, 5; de eadem re cf. exemplum a Kuehnero in gramm. Graec. II p. 974 allatum.

esse, obvenit forma *συνήκαμεν*, quae quamquam ab Atticis aliena non erat, tamen ex prosae orationis scriptoribus a Xenophonte et Demosthene solis saepius, a ceteris rarissime adhibebatur.[1])

His paucos addam locos, quibus in codicibus singulis vel omnibus exstant scripturae, quae, si rectae putantur, vehementissime movent recentioris originis Tabulae suspicionem, ubi vero emendationem adhibendam esse facile intellegitur; unus praeterea accedit locus, quo utrum corruptelam latere an ea, quae in libris exstant, recipienda in indiciisque recentioris aetatis numeranda esse censeam suspensus haereo.

3, 3 cod. A praebet *συνιεῖ*[2]). Schweighaeuserus ex coniectura scripsit *συνιῇ*. Ut omittam quaerere de indicativi forma *συνιεῖ*[3]), propterea hoc loco non ausim auctori imputare indicativi post *ἐάν* usum, quod paulo infra (4) sequitur *ἐὰν δέ τις γνῷ*. Itaque huic loco emendationem adhibere eo minus vereor, quod apud Muellerum de huius loci scriptura nihil invenio allatum, collatio autem a Schweighaeusero usitata num usquequaquam fide digna sit, dubito. Accedit quod emendatio se offert facillima. Etenim si minus accurate in eo codice, ex quo fluxit *A*, pro CΥNHI scriptum erat CΥNIEI patet corruptelam haud difficile oriri potuisse. Optime igitur et

---

[1]) Cf. Kuehneri gramm. Graec. I p. 646, 660. Apud Demosthenem sescenties hae formae obveniunt. E prioribus praeter Xenophontem paucissima exempla afferuntur ex Antiphontis et Isaei orationibus.

[1]) 3,2 pro formis *συνίῃ* et *μὴ συνίῃ* et *A* et *V* praebent *συνίει* et *μὴ συνίει*, quae in textum sunt recipienda.

[2]) Porsonus quidem has formas apud Euripidem delendas esse censuit (Eurip. Or. 141). Matthiaeus ab Atticis eas vult alienas esse (Gr. Gr. 205,1). Buttmannus contra a Porsono eas defendit. Cf. Kuehner. gr. gr. I 644 n. 4.

cum litterarum tractu et cum illo, quod sequitur, γνῷ convenit scriptura συνῇ[1]).

15,1 *ABD* οὐθείς, *MC* οὐδείς. 35,4 *M* οὐθέν, ceteri utrum οὐδέν an οὐθέν exhibeant, dubium est. 41,1 *BD* μηθέν. De ceteris nihil exscriptum invenio. Viginti locis omnes libri consentiunt in οὐδείς, uno in οὐθείς[2]). Quae cum ita sint, non dubito quin formae οὐθείς et μηθείς librariis sint tribuendae recteque Drosihnus formas littera δ scriptas ubique restituerit; ita ut hac in re Cebes cum antiquis Atticis consentiat[3]). Quae enim alterius formae in Tabula obveniunt exempla, ea pauciora sunt, quam ut auctori ipsi hanc quoque in usu fuisse arbitremur.

Idem statuendum esse mihi videtur de formis γίγνεσθαι et γίνεσθαι, γιγνώσκειν et γινώσκειν. Codices Parisini ubique praebent γίγνεσθαι, nisi quod *BD* 40, 2; 41,2 exhibent γίνεται, *A* γινόμεθα 8, 4[4]); *M* omnibus locis γίνεσθαι. Eodem modo *M* ubique praebet γινώσκειν, Parisini γιγνώσκειν. Hac in re Drosihnum, qui omnibus losis scripsit γιγνώσκειν et γίγνεσθαι eo libentius sequemur, quod cod. *M* auctoritatem nullam esse luculenter ostendit Muellerus.[5])

29,2 in libris haec exstant: καὶ ἀγαγοῦσαι πρὸς τὴν Παιδείαν τοὺς εἰσελθόντας πρὸς τὰς Ἀρετὰς ἀνακάμπ-

---

[1]) Quod Schweighaeuserus scripsit συνιῇ, corruptelae origo minus facile explicatur neque hoc cum illo γνῷ convenit. Drosihnus ex deterioribus mss. recepit συνίῃ. Sed ut mittam quaerere de hac accentus ponendi ratione (cf. Goettlingium accent. doctr. § 30, 2, 3), artis criticae leges postulare mihi videntur, ut potius ex iis, quae in optimo codice exstant, probabilem scripturam assequi studeamus, quam, si illa retineri non possunt, ad deteriores codd. confugiamus optimi codicis ratione non habita.

[2]) Cf. Drosihni edit. praef. p. VIII.

[3]) Cf. Lobeck. Phryn. p. 181.

[4]) Drosihni praef. p. VII sq., qui 8,4 omisit.

[5]) Muell. de arte crit. Ceb. Tab. adhib. p. 19 sq., p. 68.

τουσιν. Eruditio autem extra saeptum stat (19,1) et prius ad eam accedere opus est quam ad Virtutes pervenias. Unde intellegitur hunc locum, si illud *εἰσελθόντας* vertis „eos, qui ingressi sunt“ non recte se habere. Ne dicas scribendum esse *ἀγαγοῦσαι πρὸς τὰς Ἀρετὰς τοὺς εἰσελθόντας πρὸς τὴν Παιδείαν*, id obstat, quod non ad ipsas Virtutes Opiniones accedunt sed Eruditioni eos, quos ducunt, tradentes finguntur 29, 3. De alia emendatione cogitaveris, si in versione Arabica haec legeris: Opiniones sunt, inquit, deducentes ad Disciplinam, et proclinarunt iam capita sua invitando eos, qui accedunt ipsas laetumque ferunt nuntium. — Scilicet suspicaberis interpretem Arabicum pro illis *πρὸς τὰς Ἀρετὰς* legisse *πρὸς αὑτάς*. Sed ne hoc quidem mea sententia habet probabilitatis numeros, cum Opiniones nullum habeant proprium locum, sed per priores duos circuitus passim vagentur, ita ut vix dici possit: „eos, qui ad ipsas introierunt“. Jam igitur missis emendationibus videamus, num ea ipsa, quae in codd. exstant, explicari possint. Quod fieri nequit, nisi ita, ut aoristi participium participii praesentis significatione adhibitum esse statuas. Id autem hebetioris iam facti sensus esse et apud recentiores solum inveniri monuit Schmidtius[1]). Sed utrum corruptela hoc loco lateat, an participio aoristi pro praesentis

[1]) De tractandae syntax. graec. rat. comm. p. VIII. Kuehnerum (Gr. gr. II p. 161, p. 163 n. 4) si sequimur, ne cum optimae quidem Graecitatis scriptorum consuetudine hic usus pugnat. Id enim non vult inter aoristi et praesentis participium interesse discrimen, ut illud necessario designet actionem tempore ei, quae verbo finito exprimitur, praecedentem. Hoc sententiae ratione fere desiderari, non ipso participio aoristi (cf. p. 163 n. 4). Sed exempla participiorum aoristi pro praesentis adhibitorum ex optimae Graecitatis scriptoribus afferri nequeunt. Tabulae eo loco, de quo agimus, quamquam illi *εἰσελθόντας* aoristi significationem ita subesse dicas, ut ii, qui Opinionibus ad veram Eruditionem ducentibus se

participio adhibito novum ceteris accedat indicium, quo Tabulam recentiore aetate confectam esse efficiatur, certo diiudicare non ausim. Muellerus de hoc loco ex iis, quibus usus est, codicibus nihil exscripsit. Quae in libris exstant vitiis non carere vel ex eo suspiceris, quod versiones Odaxii et arabica illud *καὶ* ante *ἀγαγοῦσαι* positum non agnoscunt; quocirca Schweighaeuserus pro *καὶ* scribi voluit *αἳ*[1]).

aggregant, cum hoc faciunt, incipiant introire ad Virtutes itaque ad Veram Eruditionem cum accedunt, quodam modo ingressi iam sint ad Virtutes, tamen nemo negabit ex antiquioribus quemvis scripturum fuisse *εἰσπορευομένους*.

[1]) Obiter commemoro alio loco, qui est 6, 3, iniuria participium praesentis *εἰσπορευομένους* in suspicionem vocatum esse, cum de eis illic ageretur, qui introierunt, non introeunt. Itaque is, qui recensuit editionem Drosihni in annalibus, qui inscribuntur Literar. Centralblatt 1871, scriptum voluit *εἰσπεπορευμένους*. Supervacanea sane emendatio, cum haud raro participium praesentis, praesertim si cum temporis adverbiis *πάλαι*, *πάρος* cet. coniungitur, designet actionem ei, quae verbo finito exprimitur, actioni praecedentem, cuius tamen effectus nondum evanuit. Cf. Rieckher de participio aoristi Gr. p. 4. Exemplum nostro loco simillimum ex Xenoph. Ages. 1, 36 attulit Kuehnerus II 177: *Ἀγησίλαος ἐλπίζων καταλύσειν τὴν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατεύουσαν πρότερον ἀρχήν*, ubi Breitenbachius: imperium, quod postquam pluries Graeciae bellum intulit, etiam nunc infestum Graecis se ostendit. Praeterea cf. exempla a Rieckhero p. 4 congesta.

Librariis tribuendum esse mihi videtur, quod nonnullis locis pro *ἑαυτοῦ* legitur *αὑτοῦ*. Schweigh. nihil mutari voluit, cum apud Polybium saepius inveniretur *αὑτοῦ* pro *αὐτοῦ*. Sed diligenter iis, quae libri unoquoque loco praebent, collatis Dindorfius et Hultschius eo ducti sunt, ut ubique formas spiritu aspero scriptas restituerent. Idem nos in Cebete faciemus, praesertim cum tribus solum locis *αὑτοῦ* pro *αὐτοῦ* codd. exhibeant (1, 2 *ἐν αὐτῷ* — 9, 2 *παρ' αὐταῖς* — 16, 4 *πρὸς αὐτάς*; *M*, cuius nulla auctoritas est, etiam 10, 2; 23, 4).

Ne id quidem ad nostram disquisitionem ullius ponderis esse videtur, quod 10, 2 pronomen reflexivum non suo loco positum est: *τὰς τρίχας τίλλουσα ἑαυτῆς*; idem enim apud Herodotum, Xenophontem, Aristophanem compluribus locis invenitur.

Sequitur, ut de praepositionum usu quae nobis videantur commemoranda esse, exponamus. Atque Tabulam cum Platone, Xenophonte, Polybio, Luciano, Dione Chrysostomo, Plutarcho comparans in universum praepositionum frequentiam a Polybio longissime abesse, a ceteris haud ita multum discrepare cognovi. De singulis praepositionibus animadverti *πρός* c. acc. saepissime occurrere; frequentiam praepositionum c. accus. coniunctarum Mommsenus cum recentioris aetatis usu convenire monuerat[1]). Praeterea commemoro *εἰς* praepositionem cum personarum nominibus compluribus locis coniungi. Sic 11,2 legimus: *τὴν ἄξουσαν εἰς τὴν ἀληθινὴν Παιδείαν*. Ubi ne arbitreris vocabulo *Παιδεία* non personam, sed eam regionem designari, in qua versatur Eruditio, sequuntur haec: *καθαρθεὶς ὑπ' αὐτῆς σώζεται*. Accedit quod ceteris omnibus locis, quibus in Pinace invenitur, vocabulum *Παιδεία* significat personam, non regionem. Eodem modo *εἰς* adhibetur 11,1: *τὴν εἰς τὴν ἀληθινὴν Παιδείαν ἄγουσαν, ἅμα δὲ καὶ τὴν εἰς τὴν Ψευδοπαιδείαν καλουμένην*. 12,3: *ὅταν βούλωνται εἰς τὴν ἀληθινὴν Παιδείαν ἐλθεῖν*. 9,3: *εἰσελθεῖν εἰς τὴν Ἡδυπάθειαν* (*αἰσθάνεται ὅτι . . . ὑπ' αὐτῆς κατησθίετο καὶ ὑβρίζετο*. 28,1: *Ἡδυπάθεια* persona fingitur). Huius usus apud optimae Graecitatis scriptores exempla inveniuntur, sed paucissima[2]). Eadem significatio, quae iis Thucydidis et Isaei locis, quibus *εἰς* cum personarum nominibus coniungitur, obtinet, ea

[1]) l. l. p. 18.

[2]) Non opus est dicere hic de personarum nominibus singulari numero adhibitis agi. Apud pluralia enim hunc usum non rarum fuisse quis est qui nesciat? Thuc. I 137 optimi libri praebent *ἐς βασιλέα*, quod retinuerunt Poppo, Classenus, Boehmeius. Poppo et Classenus monent de regia domo cogitari, Classenus ad Aristoph. Plut. 237 provocans: *ἢν μὲν γὰρ εἰς φειδωλὸν εἰσελθὼν τύχω*. Isae. 7, 14 Schoemannus servat *εἰς*, rarum hunc usum apud Atticos

in Tabula quoque subest. Est enim εἰς non „ad", sed „domum alicuius", ita ut personae nomen pro loci nomine adhibeatur. Tamen, cum hic usus apud Atticos sit rarissimus, illos Tabulae locos non puto silentio esse praetereundos[1]).

De verborum cum praepositionibus compositorum structuris haec mihi videntur commemoratione digna esse: 7,2 legimus: παρὰ δὲ τῶν αὐτῶν πάλιν ἀφαιρεῖται παραχρῆμα ἃ δέδωκε. Haec verbi ἀφαιρεῖσθαι structura apud Atticos scriptores non reperitur nisi eis locis, quibus alia atque privandi notio ei subest, velut Arist. vesp. 883, Xen. ven. 12,9, Eurip. Troad. 1034. Unus locus, quem obiter inspiciens nostro similem esse dicas, exstat apud Isocr. paneg. p. 252 e: παραπλήσιον ἐποίησαν παρὰ μὲν τῶν ἄλλων τοὺς οἰκέτας εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρουμένοις, σφίσι δ' αὐτοῖς δουλεύειν ἀναγκάζουσι. At hic illud παρά non ita intellegendum est, ut repetat notionem illius ἀπό, quod est in ἀφαιρεῖσθαι, sed ἀπό propterea verbo αἱρεῖσθαι adiungitur, quod qui in libertatem asseritur, a servitute et a servis separatur; eadem

esse confessus, sed ita nonnullis locis consensione codicum probari, ut emendare temeritatis esset. In eandem sententiam exposuit Sintenis ad Plut. Pericl. excurs. IV p. 312, qui certiorem hunc usum esse dicit apud oratores Atticos et ex recentioribus exempla affert.

[1]) De ceteris praepositionibus nihil habeo quod commemorem. Quod enim Luettgeius (de Polybii elocutione, Nordhusae 1863 p. 14) παρά ubi quaeris „quo loco" non „quem in locum" cum accusativo coniunctum (Tab. 5, 1; 4, 2; 12, 2, saepius) Polybianum esse dicit, eius usus exempla etiam apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem exstant. Ne id quidem, quod παρά c. genitivo copulatum compluribus locis occurrit, quibus supervacaneum est (7,3: ἡ παρ' αὐτῆς δόσις; 31,5: πρὸς τὴν παρ' αὐτῆς δόσιν, 31, 2: πρὸς τὰς παρ' αὐτῆς δόσεις; 24, 3: τό παρὰ τοῦ δαιμονίου πρόσταγμα), recentioris aetatis indicium esse existimem. Hoc enim quamquam Polybii aetate magis magisque increbruit, ab optimae Graecitatis scriptoribus non est alienum.

significatione dicitur ἐξαιρεῖσθαι εἰς ἐλευθερίαν. Quae plane cum Tabulae hoc loco congruant exempla non invenio nisi ex recentissimis scriptoribus allata, velut Luc. 16,3: ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ, Eustath. Il. p. 72,12: ἀφαιρεῖται ἀπ' αὐτοῦ ὁ βασιλεὺς ὃ μὴ δέδωκεν αὐτός.[1])

De adverbiis praepositionum loco adhibitis animadvertendum est ὀπίσω (10,1) cum genitivo coniunctum alias non inveniri nisi apud LXX et in Novo Testamento. De ἐπάνω metaphorice adhibito (26,3) supra diximus p. 50.

Ad coniunctiones quod attinet, ὅταν bis in codd. cum indicativo coniunctum invenitur: 35,2: ὅταν ἔστιν ἰδεῖν, 39,4 ὅταν μὴ ἐπίστανται. Eo loco, quem prius commemoravi, Sauppeius scripsit ὅτε, quod recepit Jerramius. 39,4 Schweighaeuserus, Drosihnus, Jerramius emendatione assecuti sunt ὅταν μὴ ἐπίστωνται, Sauppeius οἳ δὴ μὴ ἐπίστανται. Dubitaveris num corrigendum sit, cum apud recentiores passim ὅταν cum indicativo copulatum inveniatur[2]); accedit quod hic libellus brevior est,

---

[1]) Haec praeterea afferenda sunt, e quibus ne quid de Tabulae aetate colligas monendum sit: 10,4 legimus: μετὰ τούτων συμβιοῖ; 13,1 μετὰ τῆς ἀληθινῆς Παιδείας συνομιλεῖν; (27,4 μετ' αὐτῶν ἀκολουθοῦσαι). Luettgeius p. 16 huius pleonasmi quem dicit ex Polybio attulit exemplum. Sed opus non est ad Polybium provocare. Eiusdem enim usus Lobeckius (ad Phrynich. p. 354) ex Thucydide, Xenophonte, Demosthene, Euripide exscripsit exempla.

Non maioris ponderis esse mihi videtur, quod verbum παραγίγνεσθαι, quod alias cum praepositione ἐν fere coniungitur, in Tabula 28,1; 35,2; 16,3; 16,4; 19,4 cum εἰς, πρός, ἐπί copulatur, ita ut respondeat quaerenti: „quo?“ Cuius usus exempla quamquam rara sunt, tamen ne ab optimae quidem Graecitatis scriptoribus alienus est (cf. Lycurg. 6,5).

[2]) Polyb. 4,32,5; 13,7,10 Dindorfius scripsit ὅτε, Hultschius non mutavit.

quam ut exemplorum multitudine congesta quatenus usus a bonae Graecitatis consuetudine recedens auctori imputari possit, liceat statuere. Tamen viri docti illi recte fecisse mihi videntur quod emendaverunt. Priore enim loco illud ὅτε vel ea re commendatur, quod causalis notio obtinet: Et quid hoc eis prodest (nihil hoc eis prodest), quoniam multos licet videre..? quam ὅταν coniunctioni subesse posse Thucydidis 1, 141, 142 declarant, sed ὅταν hac significatione rarissime, ὅτε saepissime adhibetur. Adde quod ὅταν et ὅτε per abbreviaturam scripta facillime inter se confundebantur. Huic autem loco si emendationem admoves, unus reliquus est, quo ὅταν cum indicativo coniungatur, cum septem locis (40,1; 31,4 bis; 31,2 bis; 14,4; 16,4) ea, quae solet, structura obtineat. Itaque dubito an audacius non sit hic quoque corrigere.[1])

Haec habui, de ratione inter optimae Graecitatis scriptores et Cebetem, grammaticam si spectas, intercedente quae dicerem.[2]) Atque pauca esse, quibus ab

---

[1]) Schweighaeuseri coniecturam praetulerim scribentis *ὅταν μὴ ἐπίστωνται*, quippe quae minorem, quam Sauppei, mutationem requirat.

[2]) 31,4 in Drosihni editione legis *ἐφ' ᾧ οὐδὲν κωλύειν*, ubi illud *οὐδέν* cum bonae Graecitatis usu pugnat; qua re Jerramius eo ductus est, ut emendaret *μηδέν*. Sed emendatio facilior in promptu est. Codd. enim optimi praebent: *ἐφ' ᾧ οὐδὲν κωλύει*, deteriores duo *ἐφ' ᾧ οὐδὲν κωλύειν* (Muell. p. 54). Equidem ita emendaverim, ut scribam *κωλύσει*; indic. enim fut. apud illud *ἐφ' ᾧ* saepissime invenitur; *οὐ* appositum est Herod. 3, 83: *ἐπὶ τούτῳ ὑπεξίσταμαι τῆς ἀρχῆς, ἐπ' ᾧτε ὑπ' οὐδενὸς ὑμέων ἄρξομαι.*

14,9 *τότε ἂν οὕτω σωθήσονται*; cf. 39,4. Sauppeius emendari voluit *τότε δὴ οὕτω* ... De hac re cf. Schmidtium, de om. apud opt. et coni. *ἄν* partic. comm. p. 9, de tract. synt. Graec. rat. comm. p. XIV.

In usu vocabulorum *ὥσπερ* et *καθάπερ* Cebes consentit cum prioribus Platonis scriptis (cf. Dittenbergerum Herm. XVI 3):

illis Cebes hac in re separetur, vix quisquam negabit. Aliter de verborum supellectile, in quam nunc inquiremus, statuendum erit.

Vocabula, quae apud scriptores Cebeti Socratico aequales aut rarius aut omnino non inveniuntur, haec sunt.[1])

ἀβεβαίως (7,2) apud Menandrum primum occurrit, cuius locum ad nostri sententiam proxime accedentem transcripsit Stobaeus flor. tit. 105, 28, p. 23 Mein. *εἰ καὶ σφόδρ' εὐπορεῖ γάρ, ἀβεβαίως τρυφᾷ, τὸ τῆς τύχης γὰρ ῥεῦμα μεταπίπτει ταχύ.* Ne adiectivum quidem *ἀβέβαιος* ante Aristotelis aetatem in usu fuit. Praeter Aristotelem et Menandrum *ἀβέβαιος* adhibebant Polybius, Philo, Lucianus, Plutarchus.

ἀκαλλώπιστος (18,1). Libri omnes (praeter *B*, in quo secunda manus *καλλωπισμόν* mutavit in *ἀκαλλώπιστον*, quod Wolfius coniectura assecutus est,) *καλλωπισμόν*. Sed propter illud *τε* post *ἁπλῆν* positum adiectivum desideratur. Itaque Wolfii coniecturam probo. — *ἀκαλλώπιστος* non invenitur nisi apud recentiores, e quibus eo usi sunt Philo, Plutarchus, Lucianus. Substantiva *καλλώπισμα, καλλωπισμός*, verbum *καλλωπίζω* a Platone non sunt aliena.

(*ἀμετάβλητος*, quod in editionibus legitur 32,2, in deterioribus codd. exstat. Equidem ex *V* recipio *ἀμεταμέλητος*).

ἀνακάμπτω ea notione, quae ei subest 27,3 bis,

ὥσπερ vicies obvenit, *καθάπερ* quinquies. *ἕως* et *μέχρι* tam raro reperiuntur, ut utrum auctor praetulerit, vix possit discerni; *ἕως* enim ter, *μέχρι* bis in usum sunt vocata.

[1]) Uncis inclusa ea addidi, quae ad nostram disceptationem nihil afferunt momenti, sed, cum aliis suspicionem fecerint, hic tractanda sunt.

29,4 bis, adhibitum apud Platonem quoque obvenit. Obambulandi significatione (13,1) non reperitur nisi apud recentiores (Polybium, Plutarchum, Diogenem Laertium).

ἀνανήφω (9,3) et proprie et metaphorice usitatum recentiorum est; proprie eo utuntur Diodorus, Dionysius Halicarnassensis, Lucianus, Plutarchus; „ad sanitatem mentis redire" significat apud Dionem Chrysostomum, or. 4 p. 78 Dind. Transitum quasi ex proprio in metaphoricum usum factum apud Philonem inveni, qui leg. all. II 16, ubi de Noae ebrietate disseruit, allegorica, ut solet, interpretatione usus pergit: *Διὸ καὶ ἀνανήφει, τοῦτο δ' ἔστι μετανοεῖ.*

ἀνδροφονῶ (40,3). Praeter auctorem Pseudo-Hippocr. ep. ad. Democr. recentiores solum hoc verbo usi sunt, in quibus Philo. ἀνδροφόνος apud Platonem reperitur, ἀνδροφονία ipsum quoque recentiorum est (Plut.).

ἀνοδία. 15,2 optimus codex *A* exhibet δι' ἀνοδίας[1]), quod cum Sauppeio et Jerramio recipio, cum Drosihnus vulgatam scripturam ex deterioribus codd. haustam retineat δυσανόδου.

Adiectivum ἄνοδος apud Xenophontem exstat (Anab. 4, 8, 10), substantivo ἀνοδία praeter Hippocratem[2]) recentiores usi sunt, velut Polybius, Philo, Plutarchus. ἀνοδίᾳ adverbialiter adhibitum (Tab. 27,3) invenis apud Polybium, Diodorum.

ἀντιφάρμακον (26,3 bis). Adiectivum hoc vocabulum est apud Diodorum (17, 90,7); substantivum apud Athenaeum (9, 370 e.), Dioscoridem (2, 96). Antiquiores

---

1) cf. Muell. p. 28.

2) Hippocratis locis in hac quaestione non multum moment tribuendum est, cum quinam ex eis libris, qui Hippocratis feruntur, iure ei adscribantur, adhuc non constet.

recte Drohsinus animadvertit adhibere *ἀλεξιφάρμακον* vel *ἀλεξητήριον*.

ἀπεγνωσμένος (27,3) occurrit apud Diodorum, Plutarchum, Lucianum[1]).

ἀπεριέργως (21,3) Adverbio Dionys. Halic., Sextus Empiricus, Aelianus usi sunt. Adiectivum *ἀπερίεργος* item recentioris aetatis est; invenitur apud Plutarchum.

ἀπροβούλευτος (8,1). Adverbium *ἀπροβουλεύτως* apud Platonem leg. 866 d. obvenit, adiectivum non ante Aristotelem (ethic. Nicom. 1151 a, 1135 b); a quo ita discrepat Cebes, ut hoc vocabulo non designet momentaneum quendam animi statum, sed qualitatem perpetuam.[2])

ἀτρύφερος (20,2) ex Eupolide affert Suidas. Occurrit apud Teletem (Stob. tit. 5, 67; p. 123 Mein.).

βουνός (15,3). De hoc vocabulo cf. Lobeck. Phryn. p. 355. Ab atticis prosae orationis scriptoribus *βουνός* alienum est. Recentiores inde a Polybii aetate saepius eo usi sunt.

δικαιοπραγῶ (41,2) ab Aristotele videtur esse inventum, ut id iuste agendi genus significaret, quod fit libero eius, qui agit, arbitrio; cf. ethic. Nicom. p. 1135 a: *ὄντων δὲ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων τῶν εἰρημένων,*

---

[1]) Nescio an id non magni sit ponderis, quod apud posteriores solum haec forma invenitur. Verbi enim huius activum eadem significatione adhibitum, ut sit „desperare", ab optima Graecitate non est alienum. Quocirca dubito an casu factum sit, ut partic. pft. pass. in eis, quae ad nos permanserunt, veterum scriptis non inveniretur nisi apud recentiores.

[2]) Secundum Aristotelis rationem hoc vocabulo adhibito omnes *ἀπροβούλευτοι* (oppos. *προβουλευσάμενοι*) sumus, cum ea facimus, de quibus antea non consultavimus. Cebetis autem *ἀπροβούλευτοι* homines sunt natura incauti et improvidi. Apud Aristotelem abest reprehensio, apud Cebetem non ita.

ἀδικεῖ μὲν καὶ δικαιοπραγεῖ ὅταν ἑκὼν τις αὐτὰ πράττῃ... ἀδίκημα δὴ καὶ δικαιοπράγημα ὥρισται τῷ ἑκουσίῳ καὶ ἀκουσίῳ. ibid p. 1136 a: οὐ γὰρ ταὐτὸν τὸ τἄδικα πράττειν τῷ ἀδικεῖν.... ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ δικαιοπραγεῖν. Itaque si ullum Tabulae vocabulum ad disquisitionem nostram magnum affert momentum, id certe est illud *δικαιοπραγεῖν*, quod originem traxerit a discrimine si minus ab Aristotele invento, attamen ab eo primo quasi in philosophiam introducto et verborum *δίκαια πράττειν* et *δικαιοπραγεῖν* diversitate denotato. Utebantur deinde hoc vocabulo Diodorus, Plutarchus, qui saepius id adhibebat itemque substantiva *δικαιοπράγημα* et *δικαιοπραγία* in usum vocavit. Quam Aristoteles his verbis subesse voluerat angustiorem significationem, ea paulatim obliterata est, ita ut *δικαιοπραγεῖν* idem designet quod *δίκαια πράττειν*. Velut Diogenes Laertius, ubi de Platone exponit, 3, 83, 91 bis tanquam ex illius sententia scripsit *δικαιοπραγεῖν* pro illo *δίκαια πράττειν*[1]).

δύναμις 14,3; 19,1; 19,4 ita usurpatur, ut significet medicamentum vel potionem. Ita hoc vocabulum praeter medicos usitabant Diodorus et Plutarchus. Sed nescio an significatione abstracta accipi possit, ut sit „vis verae eruditioni inhaerens". Necessario ita interpretandum est 22,1, ubi Beatitudo dicitur eos, qui ad eam ascenderunt, coronare *τῇ ἑαυτῆς δυνάμει*. Est autem illa vis Beatitudinis effectrix beatitudinis (23,4). Dixeris cum imagine non convenire, quod homines bibentes fingantur non potionem, sed vim ei, qui praebet potionem,

---

[1]) In Stoicorum reliquiis adhuc frustra haec vocabula quaesivi; quamquam Plutarchus de Stoic. rep. p. 1041 a: *καὶ μὴν ἐν ταῖς περὶ δικαιοσύνης ἀποδείξεσι λέγει (ὁ Χρύσιππος) ῥητῶς ὅτι πᾶν κατόρθωμα καὶ εὐνόμημα καὶ δικαιοπράγημά ἐστι*, ipsius Chrysippi verba reddere videtur.

inhaerentem. At cum auctor 22,1 ut ita dicam quodammodo exciderit imagine, non est cur non ceteris locis idem factum esse statuamus. Quo concesso usus vocabuli *δύναμις* qui est in Tabula a bona Graecitate non abhorret (cf. Xen. Cyrup. 8, 8, 14).

ἐγγίζω (35,1) ab antiquioribus alienum est. Jnvenitur apud Polybium, Diodorum, Dionem Chrysostomum, Plutarchum, LXX, in Novo Testamento.

εἰκαῖος (12,3). Soph. fr. 288 Dind.; de personis non invenitur usurpatum nisi apud recentiores, Polybium, Philonem, Plutarchum, Lucianum.

ἐκποιεῖ (8,4) ex Lysia attulit Pollux. Invenitur apud Hippocratem, Teletem (Stob. I p. 127 Mein.), Polybium, Plutarchum. Praeterea occurrit in Theophrasti responso a Diogene Laertio 5,41 tradito.

ἔκπτωσις (7,3) obvenit apud Polybium, Diodorum, Strabonem, Plutarchum, sed ita ubique adhibitum, ut praepositionis notio servetur neque simpliciter *ἔκπτωσις* significet „calamitas". [1])

ἔμφασις (1,3; 27,1). Antiquissimus testis est Aristoteles. *ἔμφασιν ποιεῖν* primus, quantum scimus, scripsit Theophrastus, sed ita, ut esset „imaginem efficere". Ea, quae hic obtinet, sententia hanc locutionem adhibent Polybius, Diodorus, Plutarchus.

(*εὐδαιμονικός*, quod hoc loco commemorat Drosihnus, apud Platonem et Xenophontem occurrit.)

εὐεκτῶ (16,1) reperitur apud Dionem Chrysostomum, Plutarchum.

---

[1]) Quae significatio ita explicanda est, ut subintellegas *ἐκ τῶν ἀγαθῶν*, vel, ut voluit Schweighaeuserus, de sorte cogites, quae alicui excidit, i. e. contingit. Polybius et Diodorus hoc vocabulo utuntur de exsilio ([*ἐκ τῆς χώρας*] *ἔκπτωσις*), Manetho de morte (subintell. *ἐκ τοῦ βίου*), Strabo de immutatione ad peius facta (p. 467: *εἴ τις ἔκπτωσις πρὸς τὸ χεῖρον γένηται*).

ἕξις significatione facultatis s. peritiae apud Platonem obvenit; item phrasis *ἕξιν ἔχειν*. — *ἕξιν περιποιεῖσθαι* (20,4) non ante Diodorum videtur adhibitum esse.

ἐπάνω; cf. quae supra diximus p. 50.

ἐπικατοικῶ alias nusquam reperitur.

εὐπόρητος libri praebent 16,5. Sed hoc vocabulum eam, quae hic ex sententiae ratione requiritur, significationem neque habet neque habere potest; *εὐπόρητος* Hesychio teste est *ὁ καλῶς διοικῶν*. Hoc loco Schweighaeuserus probabili coniectura assecutus est *εὐπόρευτος*, quod Jerramius recepit. Exstat *εὐπόρευτος* apud ecclesiasticos scriptores.

(Vocabuli *εὔτακτος* [12,2; 16,1 Parisini *εὐεκτούσας*, *M*, qui nihili faciendus est, *εὐτάκτους*] usus ab antiquiorum consuetudine non discrepat [cf. Arist. Nub. 964, ubi id significat, quod nos dicimus „sittsam"]).

εὐταξία; cf. p. 78 sq.

ἡδονικοί (13,2) philosophorum scholam designat apud Athenaeum (de vita voluptati dedita Aristot. apud Diog. Laert. 5,31; de iis, quae gratam faciunt vitam Chrysipp. Tyan. ap. Athen.); cf. supra p. 17.

ἴδιος (1,1) est „singularis" apud Aristotelem (de gen. anim. 3 c. 10 med.); postea hac notione adhibitum est a Diodoro, Plutarcho.

θέμα (31,4) depositum significat apud Plutarchum, cuius locum Tabulae c. 31,4 simillimum exscripsi p. 48.

θύριον (10,1) apud Aristophanem, Plutarchum, Lucianum invenitur.

καθάριος (12,2); Aristoteles antiquissimus huius vocabuli testis est. Occurrit praeterea apud Menan-

drum, Posidonium (apud Athenaeum), Polybium, Plutarchum.[1])

καθεστηκώς significans „sedatus" apud Aristophanem invenitur ran. 1003. Drosihnus animadvertit de personis non ante Plutarchum usurpari illud *καθεστηκώς*. At apud Herodotum (7, 205) haec exstant: *ἐπιλεξάμενος ἄνδρας κατεστεῶτας τριηκοσίους*. Accedit quod illud *καθεστηκυῖα τὸ πρόσωπον* (Tab. 18,1) idem est atque *τὸ πρόσωπον ἔχουσα καθεστηκός* (cf. Dio. Chrys. I p. 15 Dind: *καθεστηκὸς δὲ καὶ ὅμοιον αὐτῆς τὸ εἶδος*), ita ut vix illud premendum sit, quod hoc loco de persona *καθεστηκώς* adhibitum est.

καταστρέφειν eadem significatione atque hoc loco (Tab. 10,4) usurpatum, ut esset „degere", non inveni nisi apud Polybium 1, 25,6: *περὶ μικρὰς πράξεις κατέστρεψαν*[2]) *τοὺς χρόνους*. Ceteris locis omnibus *καταστρέφειν τὸν βίον* est finire vitam, i. e. decedere de vita. Etiam hic usus recentiorum est, Plutarchi, Diogenis Laertii.

κεκριμένη ἡλικία (18,1) aliunde afferri nequit. Tamen nescio an huic rei non nimium tribuendum sit. Invenitur enim partic. *κεκριμένος* simillima significatione adhibitum, nisi quod cum alio nomine coniungitur. Apud Herodotum 3,31 *κεκριμένοι ἄνδρες* sunt „probati viri"[3]). Quo ex usu dubito an illud *κεκριμένη ἡλικία* ita explicandum sit, ut ab hominibus certam quandam aetatem,

---

[1]) Xen. comm. 2, 1, 22 codd. A B praebent *καθαριότητι*; Dindorfius scripsit *καθαρειότητι*, Sauppeius *καθαρότητι*. Nescio an hic locus Cebeti obversatus sit. Quodsi subst. *καθαριότης* apud Xenophontem obvenit, casu factum esse statuemus, ut adi. *καθάριος* ex bona Graecitate hodie afferri non posset.

[2]) ubi Hultschius scribit *κατέτριψαν*.

[3]) aliter Kruegerus et Steinius: „selecti".

qua mores probati esse solent, agentibus ad ipsam illam aetatem illud vocabulum sit translatum. Idem certe factum est in vocabulo, quod modo commemoravimus, *καθεστηκώς*. Ut enim dicitur „*καθεστηκότες ἄνδρες*", ita ea aetas, qua constantes et quasi sedati homines esse solent, vocatur *καθεστηκυῖα ἡλικία* (Thuc. 2,36).

κενοδοξία (24,2) exstat apud Polybium et Plutarchum.

ἐπὶ κεφαλαίου (28,3) praeter Pinacis auctorem unus Polybius adhibuit; plur. num. *ἐπὶ κεφαλαίων* Demosthenes, Aeschines. (Aristot. *ἐπὶ κεφαλαίῳ*, uno loco cd. K^b N^b *κεφαλαίου*.)

κριτικοί; cf. supra p. 57 sq.

λειμωνοειδής (17,1) alias nusquam reperitur.

μέθυσος (34,3). Veteres grammatici de feminis hoc vocabulum volunt usurpari, de viris *μεθύων* vel *μεθυστικός* (cf. Lob. Phryn. p. 151). De viris *μέθυσος* primus adhibuit Menander; apud recentiores hic usus increbuit; e quibus commemorandi sunt Plutarchus et Lucianus.

(*μετάνοια* legitur apud Antiphontem tetr. 2, 4, 12, id quod neglexit Drosihnus. Frequentius est apud recentiores; Plutarchus haud raro eo utitur.)

ναυαγῶ (24,2) ex prosae orationis scriptoribus primus metaphorice adhibuit Theophrastus apud Diogenem Laertium 5, 55 [1]); ex recentioribus Plutarchus.

οἰκητήριον (17,3) obvenit apud Euripidem et Plutarchum.

ὀχλῶ (15,2). Ipsum verbum iam Herodoto in usu

[1]) Testamentum Theophrasti illic traditum num genuinum sit vehementer dubito. Pseudo-Demosth. locus 1410, 10, cum quanam aetate scriptus sit non constet, ad nostram disquisitionem nihil valet.

fuit (5,41); (id quod non commemoravit Drosihnus); sed nusquam nisi hoc Tabulae loco significat „calcare".

(*παραλλάττω* [35,2] eadem praetereundi significatione a Xenophonte adhibitum est Hell. 5, 1, 12.)

παρατηρῶ (9,2) ita ut significaret „insidiari" primus usurpavit Aristoteles, post Polybius. Verbum *παρατηρῶ* apud Plutarchum non occurrit, sed substantivum *παρατήρησις* significans insidiationem.

πάσχων (26,1). Codd. omnes praeter *M* (qui praebet *κάμνοντες*) exhibent *πάσχοντες*, quod recipiendum est, cum scripturae ex *M* allatae non pluris quam coniecturae quorumvis doctorum virorum sint faciendae[1]). Hac autem significatione, ut *πάσχειν* sit morbo laborare, hoc verbo utuntur Hippocrates et Plutarchus.

(*Περιπατητικοί* [13,2] ab interpolatore videri insertum esse supra vidimus p. 21 sq. Ex iis, qui hoc nomine utuntur, antiquissimus est Cicero acad. 1, 4, 18. Praeterea *Περιπατητικοί* commemorantur a Plutarcho, Luciano, Diogene Laertio).

(*πλέκεσθαι πρός τινα* 6, 2. Codd. omnes *πλέκονται*, *M περιπλέκονται*. Recte Jerramius fecisse mihi videtur, quod codices illos secutus est. Quod enim verbi *πλέκεσθαι* cum *πρός* praepositione coniuncti exempla afferri nequeunt, casu hoc effectum est neque quidquam illa structura habet, quod a bonae Graecitatis ratione abhorreat[2]).)

περισπάω (33,3) metaph. adhibitum, ut sit „animum et cogitationem abstrahere ab aliqua re" invenis apud Polybium et Plutarchum.

[1]) cf. Muell. p. 19 sq.

[2]) *περιπλέκομαι πρός τινα*, quod recepit Drosihnus, ne ipsum quidem alias invenitur. Sed hoc Drohsino offensioni esse non debebat, cum haec quoque structura nihil haberet quod a bona Graecitate alienum esset.

περίστασις (38,4) significans statum rerum, temporum condicionem, non ante Polybii aetatem in usu erat [1]. Saepissime hoc vocabulum adhibuerunt recentiores, imprimis Stoici philosophi [2].

περιάγω intr. usurpatum 6,3. Codd. excepto k, qui praebet *περιάγονται*, consentiunt in activa forma *περιάγουσι*. Wolfius voluit emendari et *περιάγονται* restitui, quod receperunt Drosihnus et Jerramius. Mea sententia ab optimorum codd. scriptura recedere non licet. *Περιάγειν* recentiore aetate saepius intransitive est adhibitum; cf. Gr. Herm. p. 360: *περίάγει τὸ περιέρχεται καὶ περινοστεῖ, ἀμετάβατον ὡς καὶ Λιβάνιος· Περιῆγε πλανώμενος ἐν Ἀθήναις*. Exempla huius usus non pauca exstant in Novo Testamento.

(*πικρός* (3,1) ea, quae in Tabula obtinet, significatione usurpatum ab antiquioribus alienum non est; invenitur apud Aeschylum, Euripidem; substantivum *πικρότης* eadem notione obvenit apud Herodotum 1, 130.)

πλάνος; cf. supra p. 65.

(*ποτήριον* [5,1]. Hoc vocabulo usi sunt Ctesias apud Ath. 11 p. 464a, 483cd, Herodotus 7, 119.)

προσκαταβαίνω (16,4). Lucill. Anthol. Pal. 11, 99.

πυλών (1, 3). Praeter Pseudo-Aristot. (d. mund. 6) hanc vocem adhibuerunt Polybius, Diodorus, Lucianus, Plutarchus. Moeris p. 83 testis est Atticos huius vocabuli loco dixisse *αὐλία θύρα*.

συνομιλῶ (13,1) praeter hunc locum non occurrit nisi in Novo Testamento. *συνόμιλος*, *συνομιλία* item recentiorum sunt.

---

[1]) Falso Drosihnus dicit apud Aristotelem hanc significationem voc. *περίστασις* subesse.

[2]) cf. Lob. Phryn. p. 376.

τραπεζίτης (31,3) exstat apud Demosthenem, Teletem, Polybium, Plutarchum, Lucianum.[1])

φιλοτίμως (19,2). Vocabulum ne ab optima quidem Graecitate alienum, sed alias nusquam, quantum video, ita adhibitum, ut quis *φιλοτίμως* id facere dicatur, quod invitus facit — ut hic *φιλοτίμως κάμνων* --. Ne apud Polybium quidem, quem Drosihnus hoc adverbio sic dicit usum esse, ut significaret „vehementer", notio studii, quo id, quo facis, amplecteris, evanuit. Id certe licet statuere, hunc usum hebetioris iam facti sensus recentiorisque aetatis indicium esse, qua tanquam signa in nummis insculpta propriae vocabulorum significationes coeptae erant obliterari.

ψευδοδοξία (11,2) a Strabone, Plutarcho adhibitum est. Verba *ψευδοδοξέω* et *ψευδοδοξάζω* etiam apud Polybium occurrunt. Ex Platone affertur a Polluce.

ψευδοπαιδεία (11,1 saepius) ante Luciani aetatem non invenitur.

(*ὧδε* a Platone quoque de loco est adhibitum, cf. Protag. 328d; accedunt Homeri et Sophoclis exempla haud rara.)[2])

(*ὡσανεί* [33,3] ab antiquioribus alienum non est (cf. exempla ab Heindorfio Plat. t. II p. 107 congesta), sed ab illis rarius, a posterioribus saepissime est adhibitum.)

His pauca addo, quae Drosihnum fugerunt.

νοσοποιῶ (19,2) ab antiquioribus alienum est; occurrit apud Aristotelem, Diodorum, Plutarchum.

νίκημα (24,1) apud Polybium, Diodorum, Dionysium Halicarnassensem, Plutarchum invenitur.

τὸ πῶς τέμνειν. 38,1 *VBRDW* praebent *ὥσπερ*

---

[1]) Inscriptio Isocr. orationis *Τραπεζιτικός* recentioris aetatis est.

[2]) Cf. exempla in Steph. thes. congesta et Kuehneri gramm. graec. II § 571 adn. 3.

οὐδὲ τὸ τέμνειν καὶ καίειν — ἔστι νοσερὸν καὶ ὑγιεινον, ἀλλὰ τὸ πῶς τέμνειν.., *C* illa *ἀλλὰ τὸ πῶς τέμνειν* omittit. Cum *V* in hac libelli parte rei criticae exercendae sit fundamentum, cum Jerramio haec vocabula recipio. Hic autem *πῶς* vocabuli usus, quo est „in gewisser Weise", „so oder so", ante Aristotelis aetatem non invenitur, apud Aristotelem eosque, qui post eum fuerunt, saepissime, e quibus hic quoque commemorandus est Plutarchus.

ἐμφαίνεται. 16,5; 18,2; 21,3 libri ms. exhibent *ἐμφαίνει*, quod, cum activum alias nusquam sic adhibitum inveniretur, recte, ut mihi quidem videtur, Drosihnus mutavit in *ἐμφαίνεται*. Hoc verbum eadem qua hic significatione usurpatum occurrit apud Polybium et Plutarchum.

Haec fere habui, de Tabulae verborum supellectile quae exponerem. Quodsi in indice verborum a Drosihno confecto Jerramius[1]) id castigat, quod ex vocabulis ab illo congestis circiter viginti quinque ex scriptoribus Cebeti aequalibus aut prope aequalibus, velut Hippocrate, Demosthene, Aristotele sint allata, Hippocratis locis propter incertam librorum, qui eius feruntur, auctoritatem non nimium tribuendum esse mihi videtur. Demosthenes autem et Aristoteles haud quaquam adeo aequales erant Cebeti, ut quod vocabula quaedam Tabulae non reperiuntur nisi apud illos, ea re nihil probari concedamus. Cebetis enim vita tum fere erat confecta, cum illi libris et orationibus componendis vacare coeperunt. Accedit quod ab Aristotele nova quaedam ut philosophiae sic sermonis in philosophia versantis aetas incipit eiusque genus dicendi tantopere a prioribus discrepat, ut Cebetem Socratis discipulum tot vocabula ab illo assumpsisse, vel si mis-

---

[1]) praef. p. XIII.

sam facimus temporum rationem, nobis persuadere non possimus.

Quanam aetate Tabulae auctor fuisse videatur, ex hoc schemate apparebit.[1])

	apud script. qui fuerunt ante Polybium.	apud Polyb.	apud scriptores Polybio recentiores (Diod., Phil., Dio. Chr., Plut.)
ἀβεβαίως	+	+ (adi.) *ἀβέβαιος*	+
ἀκαλλώπιστος			+
ἀνακάμπτω spatiari		+	+
ἀνανήφω			+
ἀνδροφονῶ			+
ἀνοδίᾳ		+	+
ἀντιφάρμακον			+
ἀπεριέργως			+
βουνός		+	+
δικαιοπραγῶ	+		+
ἐγγίζω		+	+
ἔκπτωσις		+	+
ἔμφασιν ποιεῖν		+	+
εὐεκτῶ			+
εὐταξία modestia cf. p. 50		+	+
ἕξιν περιποιεῖσθαι			+
ἐπάνω τινὸς εἶναι cf. p. 78			+
ἴδιος singularis, mirus	+		+
θέμα			+
κενοδοξία		+	+
ἐπὶ κεφαλαίου		+	
μέθυσος de viris	+		+
ναυαγῶ	+		+
ὀπίσω c. gen.			+

[1]) Omnia omitto, quae vel ex scriptoribus, qui ante Aristotelem fuerunt, afferuntur, velut *εἰκαῖος*, *ἐκποιεῖ*, vel ex coniectura scripta sunt, velut *εὐπόρευτος*, *ἐμφαίνεται*, vel apud alios omnino non inveniuntur, velut *λειμωνοειδής*.

	apud script. qui fuerunt ante Polybium.	apud Polyb.	apud scriptores Polybio recentiores (Diod., Phil., Dio. Chr., Plut.)
παρατηρῶ insidiari		+	+ (subst. *παρατήρησις*
περισπάω		+	+
περίστασις		+	+
πυλών	+	+	+
συνομιλῶ			+
νοσοποιῶ	+		+
νίκημα		+	+
περιάγω intr.			+
πῶς certo quodam modo	+		+

Ex his igitur triginta tribus vocabulis ab optima Graecitate alienis octo apud scriptores occurrunt, qui fuerunt ante Polybium; quindecim apud Polybium exstant, triginta duo apud scriptores Polybio recentiores; duodecim ex iis non ante primum a. Chr. n. vel primum post Chr. n. saeculum, quantum nos explorare possumus, in usu fuerunt.

Itaque hac disquisitione de sermone Tabulae instituta ea confirmantur, quae supra[1]) de Pinacis auctore nobis videri professi sumus. Quem in eorum philosophorum numero fuisse existimo, qui inde a Panaetii aetate in morali philosophia ad communem intellegentiam accommodate exponenda curam collocarunt. Angustioribus etiam finibus auctoris aetatem et propter allegoriae usum cum Philonis et Dionis Chrysostomi consuetudine convenientem et propter verborum supellectilem Plutarcho eiusque aequalibus simillimam ita licet circumscribere, ut primo p. Chr. n. saeculo eum fuisse statuamus.

[1]) p. 82 sq.; p. 104.

Natus sum Carolus Praechter d. 17. m. Octobr. anni h. s. LVIII Heidelbergae patre Henrico, matre Rosalia e gente List. Fidem profiteor evangelicam. Quartum aetatis annum cum agerem, parentes domicilium Moenofrancofurtum transtulerunt. – Primis ibi litterarum elementis institutus vere a. LXX gymnasium adii, cuius classes Francofurti percurri IV—IIIa; ceteras nova familiae migratione factum est ut Aquis Mattiacis frequentarem. Vere a. LXXVII maturitatis testimonio instructus Lausannam me contuli linguae Francogallicae vacaturus. Eiusdem anni autumno Tubingae classicae philologiae operam navare institui. Docuerunt me Flach, de Gutschmid, Herzog, Kugler, Schwabe, Teuffel. Tubingae bis sex menses moratus Lipsiam transmigravi. Ubi per hiemem magistris usus Curtio, Langeio, Lipsio, Ribbeckio, Bonnam sum profectus Bernaysium, Buechelerum, Schaeferum, Usenerum auditurus. Inde vere a. LXXX Musarum sedem adii Marburgensem. Ibi studiis meis praeerant Bergmann, Caesar, Niese, Schmidt, Varrentrapp. Caesaris et Schmidtii benevolentia factum est, ut exercitationibus regii seminarii philologici interessem. Hieme a. LXXXI—LXXXII examine pro facultate docendi absoluto magistri munus suscepi in progymnasio Durlacensi.

Viris optime de me meritis omnibus, imprimis Bergmanno, Caesari, Schmidtio gratias ago maximas.